

EGLINI  
CONJECT. HALIEVT.  
IT  
ANTIP. FRANCI  
CHARACT HALECUM



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
UN bis 214 b [21,-213 4"]



Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 214 b [21,213 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 214 b [21,-213 4"]



Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 214 b [21,213 4']



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
DN bis 214 b [21.213 4"]


21.-213

(LN bis 214 b)


DA BOX

p.p. for 1601





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 214 b [21, 213 4"]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 214 b [21, 213 4"]

CONIECTVRÆ  
HALIEVTICÆ  
NOVÆ ET ADMIRANDÆ.

E'

Notis & Characteribus tenuorum piscium marinorum, ad  
lata stupendo prodigio insignitorum, desumptæ.


*Authore*

RAPHAEL EGLINO, ICONIO.



Prostat FRANC OFVR TI in Bibliopoli Conr. Biermanni & confort.

clo Icc XI.





MVII  
CHRISTIANIS  
GERMANIS, PRÆ-  
SERTIM A Q V I L O N A R I-  
BVS REGNI DANIAE, ET NOR-  
wegiae, itemque in Pomerania, nomen Dn. N. Iesu Chri-  
sti syncerè inuocantibus, Sal.

**V**M Prophetiam Halieuticam, quam ad sacra Danielis & Apocalypseos oracula reuocatam, pro do-  
no gratia Dei explicauimus, edere in lucem cogita-  
remus, non sine prospohonesi ad vos, o Ciues Germa-  
ni, & quotquot nomen D. N. Iesu Christi syncerè profitemini,  
eam prodire voluimus; partim ut hac occasione breuiter nar-  
rationem rei historicam perstringeremus, partim ut nostrum  
consilium, quo hæc publica omnium salutis cauſâ in apertum  
referimus, vobis probaremus.

Edidit, iam annus agitur decimus, Ananias Ieraucurius  
Latinam, eamque accuratam Catagraphen characterū ac no-  
tarum, quæ binis hælicibus impressæ fuerunt, quarum maior in  
Dania, minor in Norwégia eodem die captæ sunt, nec ullæ præ-  
terea uspiam aliæ eo die in tota illa vastissima Oceani Germa-  
nici parte capi potuerunt, cum tamen statâ illâ & solemnî písca-  
tione aliâs multa simul millia capi sint solita. Ambæ autem

\* 2

P R A E F A T I O A D

evidenter & ad viuam penè carnem vsque profundè impressis  
characteribus atris ad latera insigniuntur; quoque minus pro-  
digium obliuione sepeliretur, non sine Dei nutu ad potentis. &  
Orthodoxum Daniæ & Norwegiæ Regem FRIDERICVM  
CHRISTIANI F. utraque halecularum transmittitur.  
Unde occasionem nactus Ananias lucubrationem ea de re suam  
illam Regi dedicauit, hoc inscriptam & euulgatam titulo: Ex-  
plicatio characterum, qui inuenti fuerunt in lateribus  
duorum halecum, Auctore Anania Ieraucorio ad Se-  
renissimum Regem Daniæ. Inciderunt hæc in annū Chri-  
sti M D L X X X V I I . diem Nouemb. 21. Verum de toto hoc ne-  
gotio præstat ipsius met Anania verba adscribere. Misit ad  
me (*inquit*) amicus & familiaris meus figuram duoru  
halecum, quæ capta fuerunt à piscatoribus, vnum in  
Dania maiusculum, alterum in Norwega xx I. No-  
uembr. M D L X X X V I I . quo mense solent ipsi Dani  
ea expiscari, multaq; millia capere. Verùm eo die ca-  
pta fuerunt tantum duo in duobus diuersis locis. Et  
ea erant certis characteribus migris ad carnem vsque  
profundè adhærentibus insignita, fuerantq; ad Re-  
gem Daniæ missa. Et is qui ad me miserat, postulabat  
vt hos characteres ostenderet viris doctis, & peteret  
eorum super hac re iudicium, simulq; meam ad ipsum  
mitterem sententiam, vt sciret, quid mihi de his cha-  
racteribus videretur. Hæc ille in libello suo: In prefatione  
verò ad Regem ipsum, Non potest (*inquit*) carere prodi-  
gio, quod pisces characteribus veluti Dei dígito in-  
sculptis insigniti capti fuerint duo in duobus locis, v-

no

G E R M A N O S .

at eodemq; die, & nulli alii capi potuerint eo die, quo  
ii capti sunt, cum alioqui multa millia capi soleant.  
Hac verbis Ieraucurianis propterea repetere volui, quod iis  
multò maior fides habenda sit, quam nescio quibus figuris in  
Germania questus gratia ad primum rumorem temere excusis  
& extrusis; ubi eodem loco binæ similes, ac ternæ haleces inter  
multa milia capta dicuntur; quæ omnia vix umbram & ve-  
stigium veritatis post se relinquent. Multò verò etiam maiore  
remeritate characteres variauerunt, quos facta comparatione  
cum Ieraucurianis vitiosissimos & peruersissimos esse constar,  
vix verbo V I C I quantumvis insigni, integro relicto. Mis-  
sis igitur Typographorum depravatis typis, ingentes Ananias  
habeamus gratias, qui licet figuram halecum, (quippe nihil à  
vulgari, characteribus exceptis, discrepantem) non expresse-  
vit, ut quam partem versus vel ad caudam, vel ad caput, qui-  
que characteres vergerent, internosceremus, (quod nos unum  
solummodo ex vulgaribus istis typis in Germania editis conii-  
cere debuimus) characteres tamen ipsos accuratè designatos,  
reiisque historiam fideliter nobis exhibuit, re ubi gesta est &  
scripta & Regi dicata.

Cæterum quod ad interpretationem Ananias attinet, debitæ  
illa quidem prodigium admiratione prosequitur, Deique digi-  
tum halecibus impressum mysterio ingenti carere non posse re-  
ctè statuit; Epicureorum quoque sarcasmos, quorum nostrum  
seculum passim vberem nimis messem metit, idem merito repre-  
hendit, qui vel temerario naturæ motu hæc extitisse, vel arte  
halecibus prius insculpta fuisse, vel quidvis denique somniant  
potius, quam Deo manus dare, prodigiumque agnoscere susti-

P R E F A T I O   A D

neant, omnia videlicet de more eleuantes & abiuentes. Quis  
neq; illud falsò conieciſſe videri debet, quòd Aquilonaribus po-  
populis, Dania præſertim ab Hebreæ voce Dan, hoc eſt, iudicio  
dictæ, quòd haleces missæ, & ubi maior capta eſt, singulare quod-  
dam Dei iudicium portendiſcribit. Sed quod idem iudicium  
hoc Dei à domo Dei incipiens actiue, non paſſiuē interpretatur,  
in eo indulget certo ſuo tractatui, de iudicio in ſuperbos Mundi  
& Babylonis damnatione, quòd ſtuduit pro re nata totum hale-  
cum myſterium referre. Verū enim verò tametsi vindictam  
Deus per Aquilonares populos actiue in hostes exercere potest,  
aut etiam paſſiuē Dei iudicium in Dania, Norwegia & Pome-  
rania, exercitum potest definere: (nihil enim hic definiimus) ta-  
mē ſi rem è puris putis putemus ſacris literis, animaduertemus  
ante damnationem Meretricis Babylonicae, cùm in ſumnum  
elata fastigium, Sedeo regina (inquit) & vidua non ſum  
& luſtum non videbo, neceſſario præcedere ingentem illam  
& catholicam piorum omnium afflictionem, quando cum Be-  
ſtia copulata Meretrix, eiique nulla non ex parte inſeffura, Te-  
ſtium Veritatis inſepultis corporibus, fidelibusque propter te-  
ſtimonium Iefu ſecuri percuiſis, poſt finitum videlicet teſtimo-  
niū duorum prophetarum, ſuperbiſſimè inſultabit, Apocal. 11.  
v. 7. &c. Cap. 13. v. 1. Cap. 17. v. 3. & 6. Cap. 18. v. 7. Qui fide-  
les ſanè ſunt iuidem illi, qui ex afflictione illa magna venerunt,  
Apoc. 7. v. 14. iudicio videlicet Dei, ſecundum Apoſtolum Pe-  
trum non actiue, ſed paſſiuē à domo Dei incipiente: donec com-  
pleto tandem myſterio iniquitatis & aperte Babylonis nomine  
in fronte Meretricis poſito, eius quoque iudicium vna cum Be-  
ſtia damnatione, uno die & una hora conſequetur; ambabus  
nimirum

GERMANOS.

numirum & bestia & meretrice in stangnum ignis ardens sulphure coniectis, Apocal. 18. v. 8. Cap. 19. v. 20. Dan. 7. v. 11.  
Hæc Danis, hec Germanis, hæc passim locorum Christianis omnibus primum renunciaisse oportet, quorum ista scire interest, ne quod dici solet, triumphum meditemur ante victoriam, aut nobis falso sine sanguine palmam promittamus: Ecclesia nempe tunc demum Christo capite reuictura & regnum initura, cum veluti intermortua in sepulchro maiore sui ex parte conclusa tenebitur. Sed agnoscit Ieraucurius interpretationis donum peculiare esse, & à Deo proficisci; ut testantur diuinus Patriarcha Joseph & sancti Propheta Daniel: quò magis ignoscendū Ananiae fuerit, qui apertè se ad confirmationem libri sui pleraque omnia quoquomodo retulisse faretur. Differt enim plerumque interpretationem ostendorum & visorum Dominus, ut ad investigationem mysteriorum nos reddat ardētores, & laudem veræ & genuinæ expositionis sibi vni-vendicet, quippe suo tempore à se tandem patefactæ. Quare quæ Ieraucurius tum in historica descriptione, tum in explicatione, vera & probabilia attulit, ea accipimus gratis animis: in reliquis non dubitamus pro alienis germana, pro communibus propria, pro obscuris & ambiguis evidentia & certiora substituere. Commune & perulgatum, imò Cabalisticum est, exempli gratia, quod vocabula acrosticha affingit literis pro lubitu: ut cum in Maioris halicis lauo latere inscriptum verbum V I C I, sic exponit, V Venit, I Iesus, C Christus, I Indicare. Quis verò puerile hoc commentum non dixerit, cum possint aliæ atque aliæ dictiones iisdem literis, & quidē innumeræ subiici, quibus reddatur sensus multò diuersissimus, ut si dicas, Vult Jerusalem Calcari Jesus. Vel;

P R A E F A T I O A D

Vult Iesus Conuertere Iudeos. Hoc vero magis etiam mirandum, quod dictiones aliunde questas & arcessitas intrudit; illam autem ipsam, quæ pisci innata, queque à Deo profecta non sine graui caussa disertissimè sonat V I C I , sicco pede transit. Quotam tam illustri elogio victoria illa Christi aduersum Bestiam & pseudoprophetam, Apoc. x7. v.14. & Cap. 19. v.20. & mysterium in diebus septimi Angeli clangentis perficiendum, inclarescit solennius, atque illud perulgatum vetus, V E N I , V I C I , V I C I , imperatorias celebrat victorias & victoriarum triumphos. Quin tanto minus fuit eius significatio negligenda, quod Latinae Monarchiae fatalis Latina vox sit censenda, omniumque Latinorum aures personet. Quo maiore etiam digni sunt reprehensione ij, qui nescio quas hinc barbaricas notas, literasque Arabicas sibi pollicentur eruendas; quos ipsa dictio Latini sermonis in verbo V I C I apertissimi erroris conuincit. Sed nostrum non est Ananiæ studium carpere; cui magis agimus gratias ob ea, quæ nobiscum volens communicauit. Apparet tamen homini precipue curæ fuisse ista ad tractatum suum referre, & quoquo modo instituto applicare, ipsomet in hac verba scribente; Quæ dñe (inquit) etiam componebam libellum, cum mihi oblatæ fuerunt hæ haleces. Liber ille ferè iam completus erat, nec videbatur aliud desiderare quam sigillum; & hi characteres nobis obuenerunt, ut tractatuli aut potius rei sigillum. Hec ille. At quod idem omnia ad annum præteritum octuagesimum octauum, prædicti onibus (ut ait) mirabilem restringit, iudiciumque hoc sextum & penultimum inter septem generalia Mundi iudicia (& ipsa nescio unde conflata) statuit, quo Babylon exceditum ex Aquiloni-

G E R M A N O S .

lonaribus partibus partadys minatur; ipso euentu iam obsoleuit, ideoque fidem interpretationi eius derogare liquido constat. Hoc studiosius igitur halecum mysterium porrò perscrutari debemus, quanto minus scilicet id Ananiam a sequentium esse cernimus: ne & vilescat ostenti nouitas, & temporis longinqua- te in obliuionem abeat.

Excussis igitur Ieraucarianis, superest ut nostra proponamus; in quibus & rei gestæ ordinem prosequemur, & nostri cō-  
siliij rationem reddemus, vltro' nos aliorum candidæ cēsūræ sub-  
iijcentes. Igitur ad tertium Decembris, anno 1596. cūm fortè ad  
pub: conuentum itaremus, exhibita nobis fuit à p̄cipuo huius  
Ecclesiae ministro figura quædam p̄fiscis marini, lupo lacustri non  
absimilis; quem alij Xyphiam, alij Cabelah esse putarunt, va-  
rijs notis hieroglyphicis & Arithmeticogeometricis insigniti;  
cuius deformationem modo attulerat secum vir ampliss. Rei-  
pub. nostræ, ab illustriss. Archiduce Matthia perlatam paulò an-  
te Constantiam; eam ipsam videlicet urbem, ubi insignes duo  
illi martyres Dei, Iohannes Hus & Hieronymus Pragensis  
Anno Chr. 1415. cremati sunt. Eam figuram Archidux à fratre  
Imperatore, Imperator à ciuitate Grypswaldensi habuisse dice-  
batur. Pifcem ipsum à Grypswaldensi ciue Martino Hausatel  
captum eodem anno nonagesimo sexto, die vigesima secunda  
Maij, adscriptum erat. Quætu dimisso, cūm primum domam re-  
petij, cœpi requirere haleces Ieraucrianas, interscrinia libro-  
rum repositas. Ac eram sub id tempus totus in Chronologicis sa-  
cis occupatus, quippe cui ad decimum Nouembris paulò ante  
septuaginta hebdomadum Danielis interpretatio noua, sed pla-  
nè r̄itis. & ad literam exacta, occurrerat; indeque progreſſo

\*\*

P R A E F A T I O A D

longius patefacta fuerant primum ea, quae habentur Danielis 12. de diebus mille ducentis nonaginta; deinde quae de prophetia duorum testimoniis Christi extant Apocal. 11. durante diebus mille ducentis sexaginta; itemque de Bestia decacorni, regnante mensa quadraginta duos Apocal. 13. nec non de muliere pasta in deserto per tempus tempora et dimidium temporis Apoc. 12. nulla profecto curiositate ingenij perquisita; sed ultra et quasi diuina virgula suppeditata: Quin mox sub 20. Nouembris totius Apocalypses seriem Chronologicam quasi integrum perspectam habere cœpi, planè mirabili ordine et symmetria omnibus inter se capitibus conspirantibus; adeò ut iam tum mibi eorum omnium sponderem intellectum, quae ego nec unquam ante a legisse apud alios memini, nec indagando et meditando ipse extundere aut esse qui cogitatione quineram. Hac dum totus tratto, grassante iam inter nos pestilentia, qua et filia protogenes et frater mibi uno eodemque die hinc euocati ad Dominum commigrarunt, non solum mirificam ex his patefactionibus sensi consolationem, sed conferenti iam inter se piscem Grypswaldensem, et haleculas Ieraucorianas, subito ac præter omnem opinionem perspicuum fit, characteres piscium esse Chronologicos, et ad annorum numeros reuocari debere: Itaque mediocri iudicio hos in halecibus primum computans, omnino cum tempore binis testibus Christi in Apocalypsi assignato, quando finituri sunt testimonium suum, congruere deprehendi: Idem in Grypswaldensi piske experto non prius successit, quam mecum memoria repeterem terminum Danielis 12. ab Angelo premonstratum, unde exorsus in Apocalypses cognitionem deueneram: Indidem exordium numerorum in Grypswaldensi piske duci ipso facto manifestissime apparuit, in teriectis.

G E R M A N O S .

sterieatis ubique notis hieroglyphicis, ad interualla stata res ipsas pudentibus. Atque hoc in uno laterum, in quo planè cum duabus halecibus, maiore & minore, Grypswaldensis piscis consentit. In altero vero eiusdem piscis latere characteres & nota totam etiam reliqui temporis periodum, usque ad solutum Satanicam & expeditionem omnium postremam Gog & Magog apertissimè & sacris literis conformiter demonstrant; iudicio in bestiam & pseudoprophetabicornem notis hieroglyphicis quasi exerto digito indicato. Quæ cum inter se omnia & cum sacris literis ad amissim congruere & mirabili harmonia consentire deprehenderem; non leuem in stuporem adductus, non potui non Deo ingentes agere gratias, qui mihi vilissimo & cineri & sacco, dignatus esset tantum, quantum meritò videbatur, myste rij pandere. Atque hæc est summa totius huius historiæ, quam præsertim quod ad piscem Grypswaldensem attinet, aliorum testimonij & iudiciis cupio ab expertis & oculatis confirmari & diuidicari.

Ad consilium vero meum quod attinet, omnino mihi minas, quas à Domino accepissem fœnori elocandas esse credidi, ne cum seruo cunctatore & malo, talenti defossionem grauem Domino redderem. Quare tum halecum tum piscis Grypswaldensis explicationem ultrò suscepi, non certè ut vel hoc testimonio Sacras Literas indigere putarem, vel meum calculum isto corollario ornare necesse haberem, in iis præsertim explicādis, quæ etiam nullis piscibus visis, Sacrarum literarum auctoritate per se nituntur. Sed quia mihi non esse integrum iudicaui, rem præter opinionem obiectam silentio inuoluere, nisi in diuinam Mariestatem quodammodo ingratus aut potius iniurius esse velle.

P R A E F A T I O N A D

Enim uero exstat apud Ezech. cap. 33. Verbum Dei grauissime  
interminantis in hanc sententiam, Quum induxero super  
terram gladium, & tulerint populus terrae virum unum  
de nouissimiis suis, & dederint eum in speculatorum si-  
bi, & viderit gladium venientem super terram, & clan-  
ixerit in buccina & præmonuerit populum, & audie-  
rit audiens vocem buccinæ, & non cauerit, veneritque  
gladius & tulerit eum, sanguis eius super caput eius e-  
rit. Vocem buccinæ audiuuit, & non cauit, sanguis eius  
in ipsum erit, & ipse cauens animam suam eruit. Et spe-  
culator cum viderit gladium venientem, & non clan-  
ixerit in buccina, & populus non cauerit & venerit gla-  
dius & tulerit de eis animam, ipse in iniuitate sua ca-  
ptus est, & sanguinem eius de manu Speculatoris re-  
quiram. Haec de externa & ciuili specula dicta, ad sacras pe-  
culii sui excubias traducens Dominus. Et tu fili hominis (in-  
quit) Speculatorum dedi te domui Israel & audies de ore  
meo verbum & præmonebis eos ex me, & cetera quæ se-  
quuntur. Non est autem dubium omnibus haec fidis Christi mi-  
nistris dicta esse, quæ hic propheta audit, quatenus ad verbum  
scriptum & analogiam fidei adstringimur omnes, ut commone-  
factio[n]es & interpretationes non aliunde mutuemur. Quid igit  
tur faciendum nobis censemus hac tempestate, ubi non simplex  
tum animatum corpori impendet gladius, sed utriq[ue] multiplex  
& quidem universalis? An mutorum canum instar & vigilum  
stertentium tacendum? An non ista passim locorum ex contra-  
rio proclamanda? An iudicia forte hominum pertimescens,  
ne errore. Pas[u]to. ac. m[od]i[m]us more phanaticorum. vagari vi-  
deamus?

GERMANOS.

deamur? An denique mensura nostra non putabimus esse, quamlibet diffitos locorum interuallis ultimis commonefacere? Ego vero vel cu*m* iactura quavis non patiar me a iusto proposito dimicari, aut officii neglecti meritò accusari. Nec mihi tamē propterea quidquā arrogo, aut prophetias peculiares iacto. Cōiecturas tantū meas de pīscīū characteribus in mediū afferor: rē ipsā sacris literis definio, & firmo, quarū auctoritas mihi sacrosancta est. Sed nec scriptura reclamat, si ad eā etiā externa signa ac natura portera accedat: veluti cū Magos imm olim usque ex Oriente stella illa noua deduxit & perduxit ad Christum natum. Et fore signa in Sole, Luna & Syderibus, & in terra angustiam gentium in cōsilii inopia, resonante mari & salo, examinati hominibus præ timore & exspectatione inuidentium malorum orbem terrarum, sub aduentum suum prædictiit Dominus Luc. 21. v. 25. Quidigitur verat etiam per mutos pisces marinos significari à Domino Cæli, Terræ, Marisq; ea ipsa nobis, quæ Bestia ex abysso maris ascendens patratura est, tum in docentes, tum in reliquum corpus Ecclesie? Christo videlicet non solummodo in prophetis, sed etiā in corpore Ecclesie crucifixo in Vrbis magna plateis, quæ spiritualiter vocatur Sodoma & Egyptus, Apoc. 11. v. 8. Horum inquam omnium prophetiam, id est explicationē ex sacris haustam fontibus, ne pro nihilo habeamus; hunc spiritum & prophetie hoc donum ne extinguamus: sed ipsimet ad Lydium omnia reuocantes lapidem, quod bonum est teneamus. Ex parte quidem scimus omnes, ex parte prophetamus, id est, docemus, nunc per enigma & dioptrū cernimus: ego vero de gente me nouissimum in hac specula Ecclesie constitutus

\*\*\* 3

P R A E F A T I O A D G E R M A N O S .

libens profiteor, consciusq; propriæ infirmitatis, adeoq; indignitatis meæ, meo me pede metior; nulla tamen ratione adduci possum vel debo, quin impendentem rei Christianæ panopletriæ non reuelam, seduloq; omnes commonefaciam. Peto igitur o Ciues Germani, seu potius precibus contendo, quibus possu maximis, ut que intellectu feriunt, que voluntate tangunt, que conscientiam vellicat, ex sacris proposita literis, siue probabili, siue magis addicta aliqua ratione conclusa fuerint, no secus existimetis, ac si non meis, sed ipsius Dei vos conouentis monitis, fidem adiungere habeatis. De me perinde est, quid quisq; dicat, aut statuat; non enim hic mea à me, sed Domini gloria & salus publica queritur, cuius mei consilii & voluntatis meæ illum ipsum unicum Cardiognosten testem omni exceptione maiorem habeo, fontem omnis veri ac boni, eternum lumen lumen. Id quod non tam horum nunc piscium, quam aliarum magnarum rerum gratia præfari apud vos visum est, quas tuò Oris suo tempore proferemus, & iuris publici faciemus. Inter vos autem peculiariter alloqui Septentrionales debui, quos præter ceteros mirandis istis halieuticis Deus visitare dignatus est: quibus omnes serio ad seriam paenitentiam reuocamur, ut illud veris gemitibus meditemur & prece mur, quod magnū illud Germaniae lumen Philippus Melanchton frequens in ore habuisse fertur,

Vespera nunc venit, nobiscum Christe maneto:  
Extingui lucem ne patiare tuam.

Valete, fratres Germani, resipiscite, & officium cum restempusq; postulat, macte vi facite. Datum Tiguri 30. Dec. Anno Dn. N.  
Iesu Christi CICLO XCVI.

Vester conservus in Domino.

RAPHAEL EGLINVS

Iconius, Tigurinus.

TYPOGRAPHIA  
AD LECTOREM  
MONITIO.

**M**ARII s excludendis operibus occupati, amice Lector, cæteroru piscium exactam descriptionem, seu potius explicationem exhibere non potuimus. Dabimus volente Deo, nundinis autumnalibus. Tractatus autem illius titulus hicerit:

**H**ALICUTICAS TYPOGRAPHIA  
-I-A-H Noua & admiranda.

Halicuticas superiorum temporum conjecturas:  
tempestiu[m] commonefactione;

Partim Numeralium, & Hieroglyphicarum,  
partim recentium litterarum, cyphrarum,  
& planetarum characterizatorum,  
reintegrans, & confirmans:

Ad latera duorum stupendo prodigio insignitorum

torum piscium conspicua omnibus omnium  
vbique Christianorum ceruicibus imminens  
præsentissimum malum à Bestia de-  
cemicorni marina & bicorni  
terrestri, denuncians.

AD MONITIO

per

RAPHAELEM EGLINUM

Iconum, Tigurin. D.

Tu igitur, amice Lector, hisce coniecturis tamdiu  
fruere, vsque dum Ichthyographiam ipsam tibi exhi-  
beamus, & longum vale.

Ι Τ Η Υ Ο Γ Α Η Ι

H A L I

Επιστολική περιοδική ποντικογραφία  
κυριείων κοινωνείας γρίφων

Βασιλικόν Νομοσχίμην, & Η ιστορικόν περιετήν  
βασιλικού τεκτονικού τελείων, Αρχιτεκτονικής  
πλαστικής τεχνης, Χριστιανικής τέχνης,  
Ιεροτεκτονικής, & άλλης

τέχνης

Αντίτυπα διάσημων Ελληνικών παραδοσιαίων ιδεών  
τοποθετηθένται

PROPHETIA  
HALIEVTICA,  
noua & admiranda,

A B

R A P H A E L E E G L I N O  
Iconio, Tigurino, explicata, &c.

**P**ROPOSITVM est nobis, <sup>omnibus</sup> binatum illarum hale-  
cum explicationem instituere, quæ in tota & vniuersa Da-  
nia & Norwegia vnicæ & solæ, sollenni licet pescatione,  
captæ sunt anno DN. 1537. ambæ ad diem 21. Nouemb.  
Itemque recentis piscis marini, in Pomerania a Martino  
Hausatel capti hoc anno Domini 1596. ad diem 21. Maii.  
Cuius quidem rei historicam narrationē in prosphonesti ad lectores Ger-  
manos præteximus: typum autem siue figuram piscium, ad latus expri-  
mendam curauimus, characteribus solis huic expositioni insertis. Horū  
ternorum natatilitum notas Arithmeticæ & Hieroglyphicas, quibus pro-  
fundè in lateribus impressis atratis vestigiis a Deo insignita sunt, ad cal-  
culum chronographicum Prophetæ Danielis & Apocalypseos Beati Io-  
annis reuocabimus: quibus prædictiones propheticæ de Ecclesiæ statu  
sub quarta Monarchia non obscurè exprimuntur. Sensum autem & ex-  
planationem è mysteriorum sacris literis præfinitoru[m] collationibus erue-  
mus, & ad communem omnium utilitatem proponeamus. Omnis enim  
quæ ad S. Literas non exigitur interpretatio, indidemq[ue] fidem non mu-  
tuatur, eadem facilitate contemnitur, qua affertur. Bipartita erit autem  
omnis hæc à nobis elucubrata tractatio. Primum quidem computum &  
summam totius illius temporis, ad quam pisces nostri congruunt, ex Da-  
niele & Apocalypsi assignabimus, natura ita postulante, vt fundamentū

A

## PROPHETIA

edificio prius sub sternatur, & non potest nisi per noscatur. Deinde vero natatilia ipsa ter gemina ex notis & characteribus, quibus insignita sunt, partim mathematicis, partim hieroglyphicis, in vulgaris tamen cognitis, describemus, easque; notas & numeros ad rerum temporumque praecipua momenta, sacris praedefinita literis, accommodabimus, simulque mysterii usum & praxin ostendemus. Quod si quis est, qui longiorem, & rationibus argumentisque; munitionem temporum chronologiam & seriem rerum fecundiorem & veteriorem exhiberi sibi postulet, quia id huius loci non est, is subsequentes alios hac de re tractatus nostros consulat, quos, Deo dante, posthac in lucem edemus. Sunt autem praecipui, qui huc pertinent, *Prophetia L. XX. Hebdomadum Danielis. 2. Calculus chronographicus Apocalypses cum Daniele collatus. 3. Ordo & series visionum & coherentia capitum totius Apocalypses. 4. Methodus & series Prophetie Danielis. 5. Tuba septimi Angelic clangentis, sive consummatio mysterij propheticid de Resurrectione prima & conversione Israelis. 6. Denique totius Apocalypses explicatio integra.*

Quod igitur ad temporis rationem attinet, à qua omnis suppeditatio nostra deducitur, ea præente nobis sanctissimo propheta Daniele, ab excidio Hierosolymitano, per Titum Vespasiani Imp. Rom. F. illato, arcessenda est; dicente Angelo Danielis 12. v. 11. Et à tempore quo remotum fuerit Inge, & ad dandam abominationē obstatucentem dies milie ducenti nonaginta. Verba sunt Angeli designantis ac repetentis excidium Hierosolymitanum, quo de egit Danielis 9. vbi in explicatione ultimæ Hebdomadæ, post explicatas septem & sexaginta duas hebdomadas, inde à versu penultimo, primū revixit, inquit, *Et ciuitatem & sanctitatem corrumpet populus Dux venturi, & finis eius in inundatione, & usque ad finem belli desolations.* Quæ verba nemo non intelligit, vel ipso Domino ea diserte in Euangeliō ad excidium applicante, de illo excidio ultimo, per Titum factō, intelligenda esse. Subiicit autem idem tum quò ad totum, tum quò ad partes, excidii catagraphen sp̄cialē. Quò ad totū, cùm inquit, *Et roboranū paratum mulius, HEBDOMADA VNA Paetū videlicet noui fœderis, abolito iam veteri, non modo quo ad virtutē (id enim in morte Christi iam factum erat) sed in ipso excidio reapse, quo ad usum & praxin eius, dicente Apostolo, Quod antiquatum est & senescit, propè est ut euaneat: nempe cùm vrbs & sanctuarium euerterentur funditus, nunquam amplius reparanda, & Euangeliū regni ad Gentes transferretur, vbi verè MVLTIS robaturum est pactū. Quo ad partes autē, cùm inquit, *Et DIMIDIO hebdomada cessare facient sacrificium & munus & super alam abominationum obstatucentem & usq; ad consumationem & decisam effundet se super obstatucentem.* Verba citamus ex Benedicti Ariæ Montani Hispalensis translatione, quæ verbum verbo expressum legitur. Duo autem hoc loco dicuntur, quæ sunt*

planè inter se & tempore & rei continuatione coniuncta. Prius quidem est, in dimidio vltimæ septimanæ ablatum iri iuge sacrificium & munus: alterum quod ala abominationum, id est, abominandorum hominum exercitus ( Romanorum videlicet ) stuporem inducturus sit, & consummationis decisio se super obstupescentē sit effusura. Est autem hoc postrius septimanæ dimidium tempus decisum sive abbreviatum: bello Iudaico videlicet non vsq; ad finem septimanæ totius durante ( alioqui non salua facta foret vlla caro ) sed in dimidio primo septimanæ finito & reliquo tempore obstupescente desolatione iam data. Hoc igitur ipsum tempus, quo & iuge estremotum ( puta in prima medietate septimanæ ) non solum virtute, sed etiam re ipsa, ut aperte belli mentio & sanctuarii euer-sio euincit, & abominatione obstupescens iam introducta & data fuit, puta in altera septimanæ medietate, ab Angelo pro vnicō vniuersi rei termino, partibus inter se cohærentibus, citatur Dan.12. Vnde porr̄, id est, post vtranq; medietatem Septimanæ finitæ, dies mille ducenti nonaginta pernuerantur. Incidit autem hic terminus vrbis euersæ & desolationis datæ ac statæ, iuxta calculum scripturæ, trecentis sexaginta diebus pro anno computatis, in annum à nato Christo octogesimum sextum inclusum præcisè. Id quod euidenti & necessaria probatione atque explicatiōne demonstramus in vltima parte tractatus nostri de LXX. septimanis: qui labor nobis suscep̄tus est, tum ad conuincendos Iudeos, tum ad calculum communem chronologicum & æras imperatorias præcisè ad designatum temporis punctum conformandas.

Hoc nunc pro postulato supponimus, quod alias euidenti & inconclusa ratione demonstramus. Itaque deinceps pergemus & præfinitum annorum numerum Dan.12. expendemus, quem Angelus inde à tempore iugis ablati & abominationis iam date, hoc est, ab anno Christi 86 deducit, inquiens: *Dies mille ducenti nonaginta.* Per dies hic intelligi annos, vt in Apocalypsi, non est nouum, præsertim apud Danielē: tum ex linguae Hebrææ more, tum ex suppuratione septuaginta hebdomadum, qui annorum sunt septenarii, non dierum, quibus isti dies mille ducenti nonaginta eadem calculi ratione consimiliter subtexuntur; hoc est, pro totidem annis sumuntur. Et solet Daniel dies, quando non iuxta annos menses & horas collocati intelliguntur pro naturalibus, vel ex alia circumstantia id non perspicitur, nominibus vesperæ & mane ( vt in Genesi ) insignire, quemadmodum videre est cap. 8. Dan. v. 14. Proinde eos, qui hōce dies, adiunctis post sequentibus 335. diebus, perperam cum bis mille tercentum vesperis & mane Antiochi confundunt: itemq; eos, qui istos omnes ad excidium interstitium & ipsum obsidionis tempus referunt, falli

vel inde constat, quod Angelus non designet tempus excidium antegressum, vel ipsam septimanæ medietatem, qua excidium factum est (quod tempus iam exactè Cap. 9. definitum est) sed eos dēmum dies, id est annos, qui ab latum iuge & desolationem iam datam excipiunt & porrò consequuntur; exclusiūe inquam, non inclusiūe. Ergo diebus pro annis sumptis, ad illos 86. annos, quibus deuastatio Hierosolymorū finita est additi dies 1290. efficiunt annum Christi 1376. Subdit autem Angelus; *Beatitudines expectantis, & attinget usq; ad mille tercentum triginta quinq;* id est, nō solū ad mille ducentos nonaginta, sed addendo ad mille, præter ducentos nonaginta, adhuc trecentos triginta quinque; ut sit summa integra 1711. Nam si aliter componas, necesse est ad absurdum deuenias. Aut enim repudiatis mille ducentis nonaginta prioribus, amplecteri loco eorum annos mille trecentos triginta quinque; qui ad octoginta sex annos additi, efficiunt annum Christi 1421. quæ nulla dum est beatitatis prædicatæ meta. Aut si ad ducentos addes centum, ut sint ter centum, & ad nonaginta adhuc triginta quinq; efficietur annus Christi millesimus quingentesimus vndecimus, computatis videlicet octoginta sex annis, vnde Angelus dinumerat. Quod tempus licet Euangeliō in Germania & Helueria renato fit contignum, tamen nec conuersione in Iudæorum nec reliqua complectitur, quæ Angelus ad Beatitudines expectantis refert, ut ex iis quæ dicturi sumus infrà, liquebit. Superest igitur ut vel hunc terminum accipiamus, quem supra posuimus, nempe præter ducentos nonaginta, esse nobis ad mille, tercentū triginta quinque insuperadiienda, ut sit summa 1711. aut mille ipsa quoq; geminari necesse erit, ut sit summa 2711. quod postremū tempus longius est, quam ferat tota Apocalypses ratio, & manifestas parit contradictiones; ut inferius perspicuum fiet. Restat igitur necessariò Beatitudines expectantis pertingere usque ad annum 1711. Intra quod tempus illa omnia quæ ad beatitatis prædicationem & resurrectionem primam pertinent, & quæ post à nobis explicabuntur, continentur & mirabili harmonia cum tota Apocalypsi consentiunt. Notanter autem dicit Attinget; ut intelligamus ultimum illum annum, qui incidit in 1711. exclusiūe non inclusiūe esse intelligendum; vnde reliqui fiunt 1710 anni inclusiūe computati. Totum igitur istud tempus quod ab exactis 1290. diebus intercedit, usque ad terminum posterioris huius pericopæ, id est anni 1711. beatum iudicari debet; et si beatitudines expectantis præcipue sunt respectu termini posterioris, quo omnia illa necesse est compleri, quæ faciunt ad illam ipsam beatitatem explicandam. Si quis hic ex nobis querat, quid igitur magni gemina hac periodo designetur? Etcùm dies 1290. inde ab excidio Hierosolymitano computati, incident in annum Christi 1376.  
 quid

quid illo tempore tandem factum sit, quod ab Angelo singulariter predicitur, & cur inde beatitudines expectantis & pertingentis ad dies 1335. nominentur, qui extenduntur ad annum 1710. completum, siue 1711. exclusuè computatum. Respondemus omnes illos, planè esse vel ipsis talpis cæciores & dignos qui Cimmerii obruantur tenebris, quilucem diuinitus illatam mundo & beatitudinis prædicationem non agnoscant, vel obstinati agnoscerenolint. Tunc enim iam in Anglia & apud Britannos, toto licet orbe ( vt ille ait ) diuisos, floruit Ioannes ille Wiclef, rector Ecclesie de Lutherwort, Lincolnensis diœcesis; si Pontificiis credimus, hæresarcha & Magister errorum; si Euangelio & veritati, is, qui primus Ecclesiam Romanam Synagogam Satanæ esse docuit & publicè pro tali proclamauit, adeoque Antichristum spiritu otis Domini coram Mondo confidere cœpit, nosque ad sacram Scripturam & DN. N. Iesum Christum reuocauit. Nam antea charactere bestie ( excepta Ecclesia in deserto pasta ) omnia passim obsignata fuerunt, per annos 666. continuos, inde nempe à 710. anno, ex quo Pontifex Romanus tantum non pro Deo adoratus est in terris: vt & testes sunt Pontificalis pallii fimbriales litteræ: EGO SVM DEVS TERRESTRIS, cum tota Rom. Pontificum historia. Hunc Wiclefum Gregorius vndeclimus non diutius ferre potis anno 1378. per Archiepiscopū Cantuariensem & Episcopum Londonensem capiendum & vinculis ac carceribus mancipandum curat: scripta ea re epistola ad Regem Richardum, quæ omnium ora peruolitat, & in historia Martyrum publicè exstat. Indemox consecutū est seculum Ioannis Husi & Hieronymi Pragensis martyrum Christi; quibus ducibus, nec non Wiclefi scriptorum opera, veritas Euangelica instaurata & propagata est, præsertimque in Bohemia passim diffundi cœpit. Quæ rursus hoc nostro patrumq; seculo, quod auspiciatus est annus Christi millesimus quingentesimus, adhuc clarius in Germania & Helvetia caput extulit, & altiores radices egit: vt traceamus quæ successum in Anglia, Gallia & Belgicis, Aquilonaribusq; regionibus habuerit: donec eo tandem, quod instat, proximo seculo, ad iustam maturitatem perueniet; Domino sanguine piorum fœundaturo Ecclesiā suam, & Euangelium Regni per crucem propagaturo. Planum enim & perspicuum ex Apocalypsi reddemus, tum plenitudinem gentium introitaram, cum beatus ille apex Resurrectionis primæ attingetur, sub diebus septimi Angeli clangentis, cum Regna Mundi sient regna Christi Apoc. 11.v.15. & Cap. 20.v. 6. Tum finem fore dispersionis populi sanctorum, & Iudæos post tempus tempora & dimidium temporis, ( qui sunt 1260. dies siue anni, mulieri in deserto pasta, vt & binis testibus, assignati ) conuersum iri: Dan. 12.v.7. Apoc. 10.v.7.11.v.3.12.v.6. & 14. quando Ecclesia ex ipsa cæde pio-

rum viatrix, resuscitatis duobus testibus Christi, reflorescer; qui finito prophetiae suæ testimonio lanienæ bestiæ & meretricis suberunt, donec dehostibus gloriose post tres dies & dimidium triumphabunt, bestia & pseudopropheta in ignem viuis coniectis, & cæteris gladio occisis. Perringunt hæc vsque ad solutionem Satanæ & bellum Gogicum & Magogicum, id est ad 1710. annum. Apoc. II. v. 11. & Cap. 19. v. 20. & cap. 20. v. 8. Hæc omnia ita in diababus hælicibus & Grypsvaldensi pisce expressa ostendemus, ut i calculo & oraculis Apocalypseos & Danielis prædefinita sunt; quod deinceps planum faciemus.

Habito igitur mensatio calamo, quem Angelus nobis Dan. 12. tradit, præscripto termino Beatitudinum, ab anno Christi 1376. vsque ad annum 1710. dicimus ex opposito Beatitudinum; Si tunc Euangeliū cœpit renasci & confici Antichristus, intelligi debere faciem antecedentis temporis tristem. Nam si salutaris & candida illuxit mundo illa dies, quæ est post eversam Ierosolymam dies millesima ducentesima nonagesima, id est, annus 1376. Christi seruatoris nostri, quo insignitus articulus & exordium beati illius temporis exprimitur, cum Euangeliū rursus publicè innovauit Mundo, & contra infelix & ater fuit Antichristo, qui spiritu oris Domini primùm confici cœpit, necessariò antegresso illo tempore characterem bestiæ, quo omnia per pseudoprophetam sive bestiam bicornem, id est, Antichristum, obsignata fuere, inuestigemus oportet. Cum dicimus omnia, excipimus Ecclesiam in deserto pastam, quæ ut faciem nitidorem alias habuit, & nunquam destituitur saltem binis, à quibus etiam in deserto doceatur, prophetis ac testibus, qui sufficiunt ad Christo perhibendum testimonium: ita tempore characteris bestiæ maximè illa omnium delituit, ut granū scilicet inter paleas, quemadmodum re Etè Patrum ille dixit, & instar Lunæ illunis obscurata est. Tempus igitur quo character bestiæ parvis & magnis, diuitibus & pauperibus impressus est, & quo imago bestiæ a pseudopropheta (qui est bestia bicornis agnina) & culta & instaurata & animata est, definitur 666. Apoc. 13. v. 18. Dicitur autem numerus hominis, eadem videlicet significatione, qua mēsura hominis, Apoc. 22. quali Angelus vtebatur, hoc est, visitate inter homines consuetudinis. Proinde continuos sexcentos sexaginta sex annos describi nobis in imperio bestiæ intelligimus, sub cuius charactere & sigillo omnia sigillata fuerunt, ne quis contra sedem Antichristicam palam caput attollere auderet. Detraheatis igitur de summa 1376. annorum, dictis sexcentis sexagenis senis annis, residui manent anni 710. à Christo nato. Hæc autem est armeniæ throni bestiæ, cum caput eius in occidente paulò ante gladio vulneratum per bestiam bicornem, id est, Antichristum Romanum, sephanatum est, eiusq; imago & consimilis in Ecclesiastica.

fiastica functione instituta est regio, qualis contra Ecclesiam per Bestiam ipsam exercita est tyrannis. Cæterum de Dracone & imperio Ethnico dicitur Apocalypsi duodecimo, versu secundo, Quod virtutem suam & thronum suum & potestatem magnam dederit bestiæ decacorni; id quod sub ortum huius bestiæ iam cœpit quidem fieri, verum res ipsa docet, tumid deum plenè perfectum esse, non solum in oriente, sed etiam in occidente, cum binæ illæ tibiæ ferreae occidentis & orientis confirmatæ sunt penitus, & in oriente quidem dominari cœpit Muhamedes & in occidente bestia terrestris siue pseudopropheta caput bestiæ decacornis vulneratum resanauit, & imaginem eius construxit. Hactenus enim postquam Draco de cœlo deiectus, id est Ethnicismus infractus est, quod anno 376. factum esse docemus, in terris adhuc minas spirans Draco, torrentis aquam post mulierem effudit Apoc. 12. v. 13. 15. 17. & bellum gessit cum reliquis ex semine Ecclesiæ, v. 17. Itaq; diserte dicitur Apoc. 13. v. 4. Et adorarunt Draconem, qui dedit potestatem bestie, & adorarunt bestiam, dicentes: *Quis similis bestiæ? Quis poterit pugnare cum ea?* Nempe quia ambo simul Dracone in terris adhuc persequente mulierem tum regnarunt. Cæterum facta defecione illa magna & apostasia à Romano pariter imperio & religione vera per Muhamedem & Antichristum, habentem quidem duo cornua similia Agni, sed loquentem ut Draco, & bestia decacorni ad summum fastigium tum in Oriente, tum in Occidente elata, ut non diffitebitur omnis temporum historia, modo æræ imperatoriae ad punctū excidiī Hierosolymitani conformentur, ipso illo 710. anno, ex quo omnia charactere bestiæ, per bicornem bestiam, ignem de cœlo euocantem, id est, per Pseudoprophetam & falsum Heliam, clausa sunt, & os Leonis, pedes Vrsi, & Pardus in partibus Babylonis, Persimidia & Græcia, dominari cœpit, quæ priorem Monarchiarum sedes his animalibus designatæ referunt regnum Muhamedis & cornu parvulum Dan. 7. tria illa regnum cornua sibi subiiciens, tunc consequitò Satanam, quod voluit, ne longius progrederetur ad ea quoq; regna, quæ imperium Romanum non attingunt, & decem cornibus non subiiciuntur, excitanda, ad perdendam Ecclesiam funditus, ipse intelligitur apprehensus & ligatus in abyssum ad annos mille, Apoc. 20. v. 2. Antea enim infestauit adhuc in terris Ecclesiam, & tertiam partem stellarum caudam sua de cœlo deiecit: tunc autem plenè tradito imperio Bestiæ, & pseudo agno, sibi surrogatis, ipse locum amplius non habuit, donec post annos mille ex carcere suo resoluetur, ut seducat gentes in quatuor angulis terræ. Ergo si eo quo diximus anno 710. ligatus est Satan, ut tota Apocalypses serie ostendemus, eius solutio impendet anno Christi 1710. annis mille iuxta litteram acceptis. *Quatenus numerum certum pro incerto hic sumi di-*

cunt, ipsi se incertos, numerū verò certū esse nobiscū agnoscere debent. Post annos mille oportet Satanam breue tempus manere, quod iam tum præfensit ille, cùm de cœlo deiectus potestatem suam infractam esse & illud quidem tempus superesse, sed breue fore intellexit, quo caput rursum in cœlum erigere frustra nitetur. Illud autem modicum & breue tempus indefinitum est in S. Scriptura, quò videri potest alludere, cùm vltimam horam inculcat Euangelista, licet nec hora, nec dies, nec mensis, nec annus aduentus Domini possint sciri aut definiri. Licitum enim nobis est ea, quæ sunt in Scriptura definite explicata, recensere & cum Apostolo dicere, donec hæc impleta fuerint non venturum diem Domini 2. Thess. 2. v. 3. Sed non licet vice versa his impletis dicere, iam aut olim, hac aut illa hora, die, mense, aut anno, affore Christi aduentum (veniet enim improuiso) quia in his negatio non est causa affirmationis, & argumenta tantum à signis, non à priore & causa petuntur.

Cæterum quòd Apocal. 19. v. 20. dicitur Bestiam & pseudoprophetam viuos in ignem coniectos esse, & Apoc. 20. v. 10. eius iterata fit mentio, ac additur Satanam eodem coniiciendum esse, vbi & bestia & pseudopropheta scilicet sunt, ex collatione horum duorum locorum & ex re ipsa apparet, Bestiam & pseudoprophetam ante solutum Satanam in stagnum ignis debere coniici. Quippe sumpta vltione de bestia & pseudopropheta, fiet Resurrectio prima, resuscitatis duobus testibus Christi Apoc. 11. v. 11. & regnabunt Sacerdotes & Reges Christi, qui consortes sunt primæ resurrectionis, idq; in terris, dum supra dicti mille illi anni Ligati Satanæ interea penitus complebuntur, Apoc. 20. v. 6. & 7. & cap. 5. v. 10. Quine etiam proiectis in ignem pseudopropheta & bestia, eorum loco prodibunt Spiritus tres impuri Ranatum, Satanæ prodromi, abeentes ad Reges terræ & totius mundi, vt congregent eos ad prælium vltimum, id est, magni illius diei, Apoc. 16. v. 17. donec & Satan ipse resolutus ex carcere suo seducet gentes in quatuor Angulis terræ & Gog & Magog, Christusq; DN. N. de cœlo veniens cum flammeo incendio infligit vltionem tum iis qui Deum non nouerunt, tum iis qui non auscultant Euangeli. 2. Thess. 1. v. 8. nempe reliquias Antichristicas cum Draconis regno penitus abolitur in illustri demum aduentu suo. Restat igitur tum bestiæ tum pseudoprophetæ damnationem tempore esse priorem Satanæ tum solutione tum damnatione. Quippe resurrectio prima (in qua cæteri non resurgent) ad mille annos soluti Satanæ extenditur, id est, ad annum (vt dictum est) 1710. Apoc. 20. v. 5. donec veniat vltima & vniuersalis omnium Resurrectio illa in corpore post damnatum iam Satanam in ipso aduentu filii Dei, v. 9. Resurrectionem autem primam inchoant resuscitati duo testes Christi, qui sunt Moses & Helias in spiritu, vt alibi docemus, nempe post

## HALIEVTICA.

9

pe post triduum illud cum dimidio resurrecturi, ex quo occisi fuerint, cùm finito ipsorum testimonio occidentur à bestia ex abysso ascendentis, & in plateis vrbis magnæ iacebunt, Apoc. ii. v. 8. Tunc implebitur illud etiam in corpore Ecclesiæ, quod Moses & Helias in montem Thabor descendentes in transfiguratione Christi prædixerunt, olim Capiti de ipsius exitu ex Ierusalem, quod & nōbis ex eundem est extra ciuitatem eius opprobrium portaturis. Sedes autem prolatæ sunt & iudicium datum est sanctis, Deo sanguinem ipsorum vindicante ex manu bestiæ & pseudoprophetæ Apoc. 20. v. 4. cap. 19. v. 2. & 20. cap. 18. v. 8. cap. 17. v. 16. cap. 15. v. 2. & cap. 11. v. 13. & deinceps. Quin etiam tempus trium Spirituum ranarum Satanæ prodromorum (quæ sunt reliquæ Antichristi, aduentu Christi penitus abolendæ) edentium signa, intercedat oportet inter damnationem meretricis & bestiæ, donec Satan, qui est planta quartæ Monarchiæ adhuc subsistens, tandem subsequetur solutus. Hi enim tres impuri spiritus coniectis in ignem bestiæ & pseudoprophetæ, Satanæque adhuc ligato, vicariam operam præstant, & vicem illorum supplent, quoad serpens liberetur. Sicut enim ligatus Satan in bestia & pseudoprophetæ habent regnat, ita his abolitis, ipsorum spiritus unum cum Satanæ spiritu exhibuntur, & Satanæ viam ad reges terræ seducendos sternent, idque præcipue versus Orientem, quibus adducendis etiam Euphrat ex siccatitur, Apoc. 16. v. 12. Ergo non solum bestiæ & pseudoprophetæ regnum ante solutum Satanam desinet, sed etiam tanto ante desinet, vt finito prophetarum testimonio & desinente iam potestate Bestiæ ad agendum, iustum spacium intercedat, quo exstant tres seductores impuri spiritus, loco damnatae bestiæ & meretricis, & ligati adhuc serpentis obambulantes, de quibus maximè prædictissim Christus videri potest, Matth. 24. v. 24. *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant ( si fieri posset ) etiam electos. Ecce prædicti vobis.* At qui dicuntur à bestia occidendi duo testes Christi Apoc. ii. v. 7. nempe finito ipsorum testimonio; Ac Testium nomine intelligimus quidem omnes fidèles Christi ministros, Christo testimonium ex officio perhibentes, quorum vel duo satis sunt, sicuti scriptum est, *in ore duorum vel trium testium consitit omne verbum;* Deut. 19. v. 15. 2. Cor. 13. v. 1. Vnde & Dominus binos & binos iam olim emisit discipulos: præcipue tamen illi ex testibus Christi intelligendi sunt, qui Ecclesiam in deserto pascunt, ex quo iterum Ecclesiam, eiecto atrio, mensurari oportuit Apoc. ii. v. 2. & 3. & inter hos ἦτορες, dicuntur illi testes nominatim duo maximè insignes nouissimi, qui sub ipsum desinentis bestiæ articulum occidentur, pseudoprophetæ illi & meretrici insidenti bestiæ oppositi, quorum corpora per tres dies & dimidium iacebunt in plateis vrbis magnæ: de quibus occi-

B

## PROPHETIA

sis sibi gentes vltro citroque gratulabuntur & munera mittent in uicem,  
 nempe quod cruciarint incolas terrae sua prædicatione, & p[er]enit Mundi  
 per ipsorum os inflatis. Prophetabunt autem dies mille ducentos se-  
 xaginta, amicti laccis, nempe propter Ecclesiam in exilium & desertum  
 actam Apoc. 11. v. 3. quandiu sanè definita est potestas Bestiarum, quadragin-  
 ta duobus videlicet mensibus, qui efficiunt annos 1260. mense pro triginta  
 diebus, die pro anno computatis. Tandiu dicuntur & gentes calcatur  
 r[um] urbem sanctam, id est, Iudæos secundum carnem, nimirum ex quo  
 Ecclesia rursus est mensurata. Iudæi enim sunt atrium exclusum foras ab  
 Ecclesia, quæ Ecclesia per templi dimensionem & altaris, & eorum qui  
 adorant in altari significatur Apoc. 11. v. 2. dicente Apostolo Heb. 10. v. 13.  
*Habemus altare (de Christo loquens) ex quo non habent ius edendi, qui taberna-  
 culo defruiunt.* Id autem exclusi atrii & calcandæ vrbis vaticinium Christus attigit Luca 21. v. 24. vbi de Ierusalem & de Iudæis secundum car-  
 nem ex sententia Dan. 12. inquit, *Et caderent aie gladii & captivi ducentur in  
 omnes gentes, & addit, Ierusalem (id est, Ierusalymitani) calcabitur usq[ue] quod  
 IMPLIANTUR temporagentium.* Hoc autem beatus Apostolus Paulus  
 ad plenitudinem gentium introeuntem refert in epistola ad Rom. cum qua  
 ibidem assumptionem Iudæorum secundum carnem connectit, cap. 11.  
 v. 25, diserte eum resurrectionis primæ apicem, *Vitam ex mortuis vocans,*  
 nempe quod sicut per mortem Christi reconciliati sumus, & per vitam  
 ipsius nunc multò magis seruamur, ita post viuere Salem illam afflictionem Ecclesiæ ac veluti mortem, assumpto Dei populo sancto, veluti vita  
 ex mortuis Ecclesiæ constabit, ut plenum illud sit gaudium Domini. Sed  
 & ipsa Christi para mulier, quæ est Ecclesia, postquam masculum peperit  
 recturum omnes gentes, id est, deiectione Ethnicismo & erecto Christianismo, dicitur in desertum fugisse, vbi habet locum paratum à Deo, ut  
 illuc pascant eam diebus 1260. Apoc. 12. v. 6. Qui vero pascent? Nempe  
 uidem illi qui prophetabunt diebus 1260. Sic postea mulier acceptis duabus  
 aliis aquila magna (quibus sanè eguit à serpente de cœlo deiecto in-  
 festata) in desertum profugit à conspectu serpentis. Fugit autem in locum  
 suum, vbi alitur per tempus, tempora & dimidium temporis. Apoc. 12. v.  
 14. Aperte autem Daniel post tempus, tempora & dimidium temporis  
 qui sunt anni 1260. (ut post dicetur) consummandam dispersionem manus, id est, multitudo populi sancti, id est, totius Israël, docet Dan. 12. v.  
 8. quod Angelus Apoc. 10. v. 7 nominat mysterium propheticum sub die-  
 bus septimi Angeli clangentis consummandum. Nec enim tempus erit  
 amplius, id est, tempus non ultra differetur. Ex quibus omnibus intelli-  
 gimus tum dies mille ducentos sexaginta duorum testium Christi, tum  
 Ecclesiæ in deserto pastæ, tum denique bestiarum agentis quadraginta duos  
 mensess

mensis à tempore Draconis de cælo deiecti reperiendos, & ante solutionem  
Satanæ infallibiliter terminandos esse, quæ præcipua est materia & seges  
nostrorum Halieuticæ.

Quæramus igitur porrò tum statum Ecclesiæ, nec non binorum te-  
stium Christi, inde à mulieris in desertum fugientis tempore per dies  
mille ducentos sexaginta prophetantium: tum Bestiæ sub idem tempus  
exortæ & regnantis per menses quadraginta duos. Tam diu enim data  
est ei agendi potestas; Tempus ab Angelo definitum Dan. 12. vii dictum  
est in annum 1376. incidit, cum veritas erumpere & Antichristus spiritu  
oris Domini apertè confici cœpit. Quod si igitur dies mille ducentos se-  
xaginta, quibus duo testes prophetabunt, vel ante, vel post id tempus v-  
niuersos colloces, utробique ad absurdum deuenies. Ante enim collocati,  
& à summa 1376. subtractis, impleta iam forent omnia illa, quæ expe-  
rientia refutat, quæque adhuc manemus. Post autem vniuersi collocati &  
ad summam 1376 additi, efficerent annum 2636. Atquit tempus soluendi  
Satanæ non ultra 1710. annum porrigitur, ante cuius solutionem & be-  
stiam igni vstulari oportet, & à bestia occidi prophetas, finito ipsorum te-  
stimonio. Ergo supputatio ista, qua dies 1260. diebus 1376. adderentur,  
contradictionem inuolueret. Talem igitur quæramus ortum & finem  
dierum propheticorum oportet, qui & repugnantiam nullam habeat, &  
cum muliere in deserto pasta concordet, quod ex temporis paralleli de-  
scriptione & bestia regnante 42. mensibus sic computandum esse lique-  
bit, vt mille anni à termino Angelico, hoc est, à mille tercentum septua-  
ginta sex annis, siue ab anno Wiclefi, retro sint computadi, quibus dedu-  
ctis residui manent 376. anni, quod esse tempus ortus bestiæ, & mulieris  
in desertum aetæ, ac proinde initii propheticæ, quo iterum fuit testifican-  
dum Apoc. 10. v. 11. liquet. Ducenti autem reliqui & sexaginta anni ex  
1260. propheticis, termino Angelico sunt adiiciendi, vnde ad mille ter-  
centum septuaginta sex annos additis 260. exsurgit numerus 1636. qui est  
finis & periodus testimonii propheticæ inclusuè annis computatis. Ex  
his intelligendum est sub Constantino Magno, qui est coronatus ille e-  
ques victoriosus Apoc. 6. v. 2. Satanam de cælo deiectum & sub pedes Ec-  
clesiæ contritum esse, vt Apostolus prædixit Rom. 16. v. 20. Ethnicismo vi-  
delicit abolito, post quod tempus mox eiecta est mulier siue Ecclesia in  
desertum à Dracone, effundente præcipue per Arrianos post eam torren-  
tis aquam. Tunc etiam Romanum imperium aliam faciem habere cœpit  
diuiso scilicet Oriente ab Occidente, vnde bestia decacornis habens de-  
cem coronas extitit, sed maximè in Oriente viguit. Nam in Occidente  
caput eius gladio vulneratum fuit à Gotis & Hunnis. Proinde os Leo-  
nis, pedes Vrsi, cætera Pardi ei tribuuntur, quia partes eas orbis præci-

puè obtinuit, quatum regna à Daniele sub his animalibus designata sunt, sedē sua in Babylone, Persōmedia & Græcia fixa, vbi tria regna siue cornua cornū parvulum sibi subiecit tandem, quod inter reliqua enatum à paruis initii ad summam potestatem peruenit, & maius est cæteris: ynde & tota Bestia indidem sibi nomen fecit. At in Occidente post Hunnos, & Gottos sensim resanatum est caput Bestiæ, & enata est bestia agnina bicornis, quæ est meretrix & pseudo propheta ille, imaginem bestiæ extruens, donec in totam bestiam impudentissimè insiliet, licet diuinitus cum ea tandem sit excindenda. Quis modò non affecitus est, vnam tantum esse bestiam siue corpus quartæ illius monarchiæ sed ita varium, vt Danieli esset stupor & quodammodo inexplicabile. Propterea B: Ioannini modò Draconis faciem refert, nempe sub Ethnicismo, vbi & idolatria Diabolica, & saeuitia immani, mendacio inquam & homicidio, præcipue græfatus est Satan: modò refert decacornis & septicipitis bestiæ faciem, cuius imponuntur decem coronæ cornibus (Nam antea septem coronæ hæreabant septe Draconis capitibus,) ex quo bestia diuiso Oriente ab Occidente ex abysso maris ascendit, stante Satana ad arenam maris, & bestiæ thronū, & potestatem suam magnā tradente, Apoc. 12. v. 18. & cap. 13. v. 2. & 3. Accedit huc bestia bicornis, similis quidē agno, & specie Christianismum referens, sed loquens & mandans vt Draco, quæ bicornis bestia est Antichristus sedens in templum Dei, id est, Ecclesiam, qua parte bestia decacornis vulnerata est in uno capite gladio, vbi sensim per Antichristum caput eius resanatur, quod quis nescit sub Bonifacio (Winfredo dicto, Germanorum Apostolo) & post sub Carolo Magno per provincias discurrente & Ecclesiæ & gentes Occidentis plerasque omnes, vt testatur Iacobus de Voragine in historia Lombardica, minis, carceribus, & variis pœnarum & suppliciorum generibus, ad ritus, ceremonias, misericordias Latinam Romanæ Ecclesiæ, & decreta, placita & instituta Rom. Pontificum, per totum imperium obseruanda, compellente & cogente, factum esse? Et hæc diuiso imperio acta sunt. At quatenus regnum quod diuisum est, teste Daniele, iterum est coniungendum (tametsi vt idem Propheta testatur, non cohærebunt, licet in semine humano commisceantur, & iunctis matrimonii in unum coalescere sat agant) eadem non modò bicornis agnina iam bestia, sed aperta meretrix & pseudopropheta sponsæ Christi, eiusque binis martyribus Prophetis opposita, toti bestiæ plenæ nominibus blasphemiarum turpissimè insidebit, ipsa ebria sanguine sanctorum, consimilisque coccineæ eam portatæs monarchiæ, donec ambo comprehensi in stagnum ignis ardens sulphure coniicientur viui, & a decem cornibus ipsis bestiæ meretrix denudata exuretur, cuius exitium veniet vna die & vna hora, quantumvis luxuriata & scortata cum Regi-  
bus ter-

bus terræ fœse efferet, ac Sedeo *Regina inquiet & vidua non sum & luctum non videbo*. Apoc. 18. v. 7. quæ omnia longum esset nunc percensere. Anni propheticæ igitur post mortuum Constantinum & deletos tyrannos quinque, uno tamen adhuc superstite, nempe Iuliano, ortum suum capiunt 376. quo tempore etiam paulo ante Delphicum templum cœlitus conflagravit, nec unquam porrò extrui potuit. Aëram horum 276. annorum iuxta calculum nostrum computamus, prout excidium Hierosolymitanum in 86. annum Christi incidere diximus. Hoc tempore Ecclesia dimensione rursus opus habuit, iterumq; prophetandum fuit, quippe à Dracone in desertum eiecta, ac Arrianismo passim infestata. In deserto verò alitur Ecclesia per tempus, tempora & dimidium temporis, ubi iuxta Danielem tempus annum designat, tempora biennium, dimidium temporis semestre. Sed pro diebus annorum, ut dictū est, rursus tot annos intelligere oportet, nempe anno in duodecim menses tributo, mense in triginta dies. Efficitur igitur ex tempore, temporibus & dimidio, numerus dierum, id est, annorum 1260. qui est terminus Ecclesiæ in deserto pastæ, ut eodem capite expressè docetur, & cum duobus testibus Ecclesiæ pascentibus conuenit, & ex antistropha calcatione vrbis sanctæ, per menses quadraginta duos (qui sunt dies 1260.) & bestiæ totidem menses regnantis, planè consentire intelligitur. Estque hæc temporis assignatio ita certa, rebusque conueniens, ut quoquouersum præterea te vertas, quocunque alio modo numeros computes, vel manifesta conuincaris experientia, vel confessionem tollas & meritis in uolularis contradictionibus, ut in calculo Apocalypses fusiùs demonstramus.

Explicata hactenus periodo, qua duo testes Christi finituri sunt testimoniū suū, occidendi à Bestia: consequens est, ut bestiæ ipsius quoque è mari ascendentis, ad quam accedit pseudopropheta siue bestiæ bicornis, exactum computum instituamus. Nam sicut tempore annū bestiæ, cum resanato capite vniuersa terra sequuta est bestiam, bicornis ille pseudopropheta signa edens & ignem de cœlo euocans (quæ notæ sunt pseudo-Heliæ binis testibus Christi oppositi) per continuos sexcentos sexaginta sex annos omnia chara & tere bestiæ obsignauit, quasi imperato Pilati sigillo Christum supprimens, donec tempore Wiclefi reuelari denuò veritas & confici Antichristus spiritu oris Domini cœpit: ita magis ac magis prædicato verbo irritatur meretrix, poculumq; scortationis & immunditiæ suæ præbet omnibus, donec regibus & principibus terræ fascinatis & philtro sui inebriatis, tandem superbissime occisis sanctorum corporibus insultabit, & se Reginam cum bestia copulata fecerit. At eius excidium veniet uno die & una hora, & auferetur à bestia potestas, & utriusq; corpus exuretur igne. quia validus est Dominus:

Deus exercituum ad hæc omnia perficienda, Dan. 7. v. 11. & 12. Apoc. 18. v. 8. Quæramus igitur tempus ortus bestiæ, vt eiusdem cum pseudopropheta finem præcisè cognoscamus. Definitur potestas bestiæ, ad agendum ei data, Apoc. 13. v. 5. mensibus quadraginta duobus. Mensis pro tri-ginta diebus, more communis Chaldaeorum, Aegyptiorum & Hebreorum sumpto, iuxta usitatum scripturæ calculum, die vero pro anno, redundunt 1260. anni, totidem videlicet, quo attribuuntur Ecclesiæ in desertum actæ. Necesse est autem hos annos ante solutum Satanam terminari, si quidem Apoc. 20. v. 10. dicitur, eodem coniiciendus Satan, ubi & bestia & pseudopropheta iam sunt, & Cap. 14. v. 8. & 10. dicuntur & illi cum ruente Babylone eodem coniiciendi & bibituri ex poculo indignationis Dei, qui characterem bestiæ accepturi sunt, aut bestiam & imaginem eius adoraturi. Et Cap. 16. usque ad versum 14. satis appareat damnationem meretrici adhærentium antecedere exitum trium spirituum dæmoniorum & conflictum Gogicum & Magogicum, id est, Regum terræ & totius mundi congregatorum ad prælium magni illius diei omnipotentis, licet totalis & omnimoda urbis Magnæ tue Babylonis destruccióne in illo ultimo die demum penitus sit perficienda v. 10. Proinde talem ortum bestiæ assignare nos oportet, quo numerus potestatis eius ultra solutionem Satanæ se non porrigit, nisi ad absurdâ maxima deuenire velimus. Itaque non à cornu paruulo demum (licet ea præcipua sit pars bestiæ, id est, non ab anno 710. cum ligatus est Draco, & enata est bestia bicornis, in Oriente autem regnauit Muhamedes arcessendus est ortus bestiæ) sed ante id tempus. Quippe iam à diuiso imperio extitit bestia illa decacornis in perditionem tendens, & sauciata est à Gottis & Hunnis in capite occidentis, ante restorationem, quæ facta est anno 710. Notanter autem & dicticè dicitur, *Potestas agendi*, eo quod finitis 42. mensibus, nullam præterea nouam cladem afferre poterit Ecclesiæ, sed in cæde duorum prophetarum definit. Etsi enim per tres dies cum dimidio (quod est tempus luxuriantis & elatæ meretricis) corpora ipsorum infusa iacebunt in urbis magnæ plateis, quæ est Sodoma & Aegyptus: tamen nihil ultra per bestiam efficere poterit; paulò post cum ea in exitium ignis sempiterniabitura. Deducamus ergo primū à termino soluti Satanæ hosce 1260. annos, qui sunt menses 42. residui erunt 450. anni. Hos porro cum tempore assignato prophetis & muliere in desertum fugiente comparemus, qui est annus 376. vti diximus. Ex parallelia huius termini (si quidem coincidere debet finis bestiæ & mulieris in desertum actæ) apparet 74. annis bestiæ finem solutione Satanæ priorem esse. Finem bestiæ dico ad agendum date potestatis. Nam demum cum meretrice sive pseudopropheta exuretur igne, nimisrum anno, mense, die, hora, post exci-

excitatos binos testes Christi quorum corpora tribus annis cum dimidio in sepulta iacebunt, ex quo potestas agendi bestiae definet; Reliqui autem occidentur gladio Apoc. 19. ita emergit annus 1636. praeceps, quando ad finem testimonii prophetici bestiae quoque potestas definet.

Sed tempus ortus bestiae etiam alia euidenti ratione ob oculos statui potest. Nam Apoc. 2. v. 10. Regnante adhuc per Ethnicismū Dracone siue Diabolo, dicitur Smyrnensi Ecclesiae futurū esse, ut mittat Diabolus aliquos ex ea in carcerem, ut explorentur, nempe exploratione consumiti, qualis ventura erat super viueros incolas terræ, Apoc. 3. v. 10. Et habebitis, inquit, afflictionem dierum (id est, annorū) decem. Vbi æram Diocletiani, quæ & æra Martyrum dicta est, intelligit, cum decennali persecutio ne illa omnium maxima maximè crutiarentur Christiani. Hoc autem tempus refert Euangelista inter ea quæ sunt, manifestè quæ futura sunt discernēs ab illis, quæ erant, quæq; ad septē Ecclesiās Asiaticās tunc exsistentes pertinebant, vt legimus Apoc. 1. v. 19. & 20. Itemque cap. 4. v. 1. Ecquid igitur ea, quæ sunt, proxime insequitur? Nempe interitus Ethnorum tyrannorum s. Constantino Magno supremam victoriā reportante, quamuis superstite fratri filio Julianō, qui postea surrogatus Constantini F. F. palam Ethnicisimū reuocare tentauit. Merito autem tempus illud mulieri, quæ Christum peperit confertur, atq; id est cum equo albo, cui insedit arcitemens, & data est ei corona & prodiit vincens & ut vinceret. Siquidem & Constantino dictum est, ut in hoc signo vinceret, & iaculo siue sagitta percussus Julianus fidem finemque primo sigillo planè fecit, Apoc. 6. v. 2. Tunc igitur exorta est bestia decacornis, ut exponiatur, Apoc. 17. v. 10: Cū Reges quinq; ceciderunt Diocletianus, Maximianus, Maximinus, Maxentius, Licinius, & unus de horū numero, qui simul & semel fuerunt & conuixerunt, etiamnum fuit, nempe Julianus. Unus autem nondum venit, & cum venerit oportet illum breue tempus manere, qui est Satan ex carcere illo suo soluendus, nempe planita illa ferrea quartæ monarchiæ, siue Colossi. Bestia autem octauus est, & è septem est. Octauus respectu septem nominatorum: Septimus autem respectu Satanæ nondum soluti; Fuit autem, & non est, & tamen est, & in perditionemabit. Fuit inquam & non est, nempe respectu interitus quo ante solutum Saranam in exitum ac perditionem abit, quia igne exuretur. Et tamen adhuc est tum in eo, qui nondum venit, tum in tribus impuris spiritibus Saranae prodromis, qui interea ei viam sternunt, in quibus & ipsa bestia est tanquam in râdice, quo ad Satan soluetur. Hæc autem præcisè ab anno 376. inchoanda esse nemo inficiabitur qui vel mediocriter in historiis versatus fuerit, modò calculū Chronographicū & æras imperatorias ad Ierosolymitani articuli excidium reuoces, de quibus nunc

non est disputandi locus; vnde consequitur potestatem bestiæ agentis  
42. mensibus, si inchoentur ab anno 376. ipso illo cædis propheticæ an-  
no terminari, qui est 1636. Christi, ut ex calculo Apocalypseos & integra  
eius explicatione manifestè liquebit, admiranda prorsus veritatis harmo-  
nia & connexione omnibus ob oculos constituta, si quando à nobis con-  
cionibus explicata, dū oīō, edetur.

Post quām igitur ad annum Christi 1636. deuentum est, quo & pro-  
phetæ occidendi sunt, & potestas agendi bestiæ terminatur, locus postu-  
labat vt aliquid de hac ipsa potestate bestiæ diceremus, & quomodo in  
tantis calamitatibus, quæ nobis impendent, Christiani se se gerere debe-  
rent, qui precipuus est huius tractationis usus & præpositi nostri sco-  
pus; Sed quia hoc in fine commodius facturi sumus, vbi ad usum & pra-  
xim omnia reuocabimus, idcirco nunc ad reliqua festinabimus. Dein-  
ceps igitur ad ea tempora, quæ 1636. annum consequuntur, usque ad so-  
lutionem Satanæ, id est 1710. annum in calculo nostro progrediemur.  
Hæc enim partim in hælicibus, partim in Grypwaldensi pîsce insignitè  
notata habemus. Dicitur igitur Apoc. 11. *Cadanera Prophetarū in plateis ur-  
bis magna per tres dies & dimidium futura; quæ quidem visuri sunt ex tribubus,  
populis, linguis & gentibus, nec passuri, ut ponantur in monumentis: quin imò ga-  
uisuri sunt incola terræ, & sataturi super illis, muneraq; missuri, ali alius. Sed post  
tres dies & dimidium, spiritus vita à Deo ingredietur in illos, stabuntq; in pedes  
suos, & timor magnus cadet super eos, qui ipsos spectarunt. Et audierunt vox ma-  
gnam de cœlo dicentem ipsis: Ascendite huc: ascenderuntq; in cœlum per nubem,  
& viderunt illos inimici eorū: Et IN ILLA HORA; factus est terræ motus ma-  
gnus & decima pars urbis cecidit, & occisa sūt in terramoto capita hominū septies  
mille (puta in illa decima urbis parte corruente) & reliqui (puta eius par-  
tis) territi sunt: & dederunt gloriam Deo cœli. Quæ hic narrantur deinceps  
scilicet futura, annum Christi 1636. immediate sequuntur, nempe tres dies  
cum dimidio, quibus munera mittentes sibi incola terræ vltro citroque  
gratulabuntur de occisis testibus Christi. Et quia à bestia occidendi erunt  
in plateis urbis magnæ, quæ est Sodoma & Aegyptus, propter vitæ im-  
munditiam & propter scortationem spiritualis idolatriæ sic dicta, sa-  
nè metetrix & bestia iam coniunctæ intelliguntur, qua de re fusè  
& apertè pertractatur Apoc. 17. Regibus terræ videlicet scortantibus  
cum meretrice, & mysterio iniquitatis ad summum completo, aperteque  
in fronte meretricis iam posito, & proposito, nempe magna Babylon ma-  
ter scortationum & abominationum terræ, muliere ebria existente sanguine  
sanctorum & sanguine testium Iesu. Sed post tres dies cum dimidio, id  
est, post tot annos (vt vbiq; in Apocalypsi apparet) resurgent duo testes  
Christi, quod pertinet locus de resurrectione prima, & mysterio prophe-  
tico*

tico complendo, quæ est prophetia Angeli Apoc. 10. v. 7. & Tuba septimi  
Angeli clangentis Apoc. 11. v. 15. & 17. quæ omnia tot annis antè sunt præ-  
dicta Dan. 12. v. 7. Estque hæc æx un beati illius temporis, quæ Apoc. 20. v. 5.  
dicitur Resurrectio prima, quam Apostolus Rom. 11. vitam ex mortuis  
vocat, propter assumptionem populi Iudaici tunc conuertendi ut ex con-  
summatione mysterii prophetici à nobis descripti suo loco patebit.  
Atque huc pertinet in hæc Danicæ maioris lævo latere inscriptum e-  
logium illud verbi VICI, ut postea explicabimus. Sed additur cap. 11.  
Apoc. Factus q, est in illa hora terremotus magnus & decima pars urbis cecidit, in  
illa hora videlicet. Nam cùm in tres partes diruetur cum ciuitatibus gen-  
tium, finis totalis Mundi aderit, & damnatio extrema, quæ huc non per-  
tinet. Ita Apoc. 18. v. 8. vbi de damnatione meretricis elatæ & luxurian-  
tis, ac dicentis: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo, agitur,  
ideò una die, inquit, veniet plaga eius, mors & luctus, & famæ & igne exuretur,  
quia validus est Dominus Deus, qui damnabit eā, &c. Et v. 10. Vah vah magna  
illa urbs Babylon, cuius una hora venit iudicium. Sicut & v. 16. Itē Apoc. 17. v.  
2. & deinceps, Reges 10. qui regnum nondum acceperunt ( quippe illud  
nunc bestiæ tradentes) donec compleantur verba Dei, postea una hora di-  
cuntur potestatem tanquam reges accepturi. Et hi ipsi dicuntur perfec-  
turi meretricem, & solam reddituri, & nudam, & carnes eius comedunt  
& ipsam igne exusturi. Quæramus igitur deinceps horam damnationis  
meretricis magnæ, dicentis, Sedeo Regina, &c. Nam quod ait Apostolus  
1. Thess. 5. Quum dicent pax & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exiti-  
um, sicut dolor partus mulieri vterum ferenti, Nec effugient, etiā huc accom-  
modari & potest, & debet, non solum ad ultimum illum Christi aduen-  
tum, quo tum spiritus dæmoniorum, Bestiæ videlicet, Pseudoprophetæ  
& Draconis, tum Satanæ ipse met, in Ethnicis regnans, igne cælitus de-  
missio abolebitur 2. Thess. 1. Scribitur igitur Apocal. 9. v. 13. & deinceps:  
Tunc sextus Angelus clanxit, & audiui vocem quandam ex quatuor cornibus alta-  
ris aurei, quod est ante oculos Dei, dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam,  
Solute quatuor illos Angelos vincitos ad magnum illud Euphratis flumen. Solu-  
luti igitur sunt quatuor illi Angeli parati ad HORAM, ET DIEM, ET MEN-  
SEM, ET ANNVM, ut occidant tertiam partem hominum, Eratque nume-  
rus equestris exercitus bis millies centena millia. Nam audiui numerum eorum.  
Item q, vidie equos per visionem & ipsorum seffores habentes thoraces igneos, hya-  
cinthinos, & sulphureos. Erant autem capita equorum, ut capita Leonum, & ex  
ore ipsorum prodibat ignis & famus & sulphur, & cætera quæ sequuntur. Ut  
autem intelligatur quodnam genus hominum isti sint occisi, additur  
v. 20. Porro reliqui homines qui non sunt occisi his plagis, non respuerunt ab operi-  
bus manuum suarum, ut ne adorarent dæmonia; Item idola aurea & argentea. &

C

## PROPHETIA

area & lapidea & lignea, que neq; videre possunt, neq; audire, nec ambulare: Neq;  
 respuerunt ab homicidiis suis, neq; à beneficiis suis, neq; à scortatione sua, neque à  
 furtis suis. In his verbis tria præcipue notantur. Primo à quibus siue per  
 quos ista cædes instituatur: Secundo quibus instrumentis: Tertio in  
 quos designetur. Quod ad primum, nominantur Angeli, quibus scilicet  
 impellentur homines. Nec enim obstat quod dicitur Apoc. 17. de 10. Re-  
 gibus, Deum daturum in corda eorum, ut faciant quod placitum est ei & ut con-  
 sentiant, & dent regnum bestie, donec compleantur verba Dei. Hypallela enim  
 vt in Scholis dicitur, non pugnant. Iam vero hominum ministerio & ex-  
 ercitus immensi peragenda haec esse: nec peditum sed equitum: nec le-  
 uis armaturæ, sed igne, fumo, sulphure, id est, bombardis instructorum,  
 ad exurendam meretricem igne, perspicuum fit ex locis adductis. Per-  
 nere autem ista ad meretricem & bestiam ipsam, hostes scilicet Dei, ex  
 catagraphæ operum contra primam & secundam tabulam commisso-  
 rum, indidem liquet. Quæ omnia in pilce Grypswaldensi notis Hiero-  
 glyphicis ad miraculum usque clarè sunt expressa. Ibi enim ponitur R. &  
 illud quidem interruptum, quæ est nota Regni Romani intercidens, &  
 monarchia quartæ, licet in planta pedis suo modo subsistat, vt docetur  
 in Daniele; Ponitur & calcar, nota equestris exercitus; ponuntur & no-  
 tæ hieroglyphicæ tormentorum & gladii. Nam reliqui post apprehe-  
 sam bestiam & pseudoprophetam, in ignem coniectos, gladio quoque  
 dicuntur occidendi Apocal. 19. v. 21. Nec obstat quod illic gladius ex ore  
 Domini prodiens dicitur, quia spiritualis armat materialem; Sicut zelus  
 Domini deuorans venditores & emptores templi etiam materiale fla-  
 gellum Christi instruxit. Ergo quid proximè dies tres cum dimidio se-  
 quatur, post resurrectionem duorum testium Christi, appareat, nempe ho-  
 ra, dies, mensis, annus, quibus igne, fumo, sulphure, tertia pars hominum  
 & reliqui gladio sunt occidendi. Ita determinatè damnatio meretricis  
 etiam ad horam usque definitè assignatur, ne sub cruce fatiscant fideles,  
 aut impatientia vincantur, dum cumulum peccatorum suoram, cœlum  
 attingentium, meretrix ad summum coaceruauerit. Efficitur igitur annus  
 Christi 1640. cum septimestri, & die & hora. Inde usque ad tempus solu-  
 tionis Satanæ, qui est 1710. per 70. annos, Babylonicae captiuitati opposi-  
 tos à diebus septimi Angeli clangentis, iam consummabitur prædictum  
 illud per prophetas mysteriū de conuertendis Iudeis, & de regno Chri-  
 sti in terris ad suam <sup>in plu</sup> producendo, cuius regni non erit finis. Tametsi  
 enim plus nimium mali erit, tum à tribus spiritibus Draconis, Bestiæ, &  
 pseudoprophetæ, seducentibus gentes, & in sanctos concitantibus; tum  
 ab ipso Satana soluendo, exactis videlicet mille annis p̄si attributis, qui  
 terminus incidit in 1710. annum, cum exhibit, ut seducat gentes, Gog &  
 Magog.

Magog, id est principem & populum principis, non in terra Gogica tantum, sed (ut dicitur) in quatuor angulis terræ; adeò ut sanctorum castra circumdet: tamen regnum non obtinebit, quin potius ignis è cœlo descendens à Deo deuoratus est aduersarios Apoc. 20. v. 9. Interea beati mortui pronunciantur ex nunc, siue post hac, qui Domini causa moriuntur, Apoc. 14. Quod tum generatim omni tempori cōpetit, tum speciatim illi nouissimo, post introitum scilicet regnum Christi spirituale in terra, vt requiescant à laboribus suis, & opera ipsorum, id est, præmia operum sequantur eos, nempe minimo interuallo, non solum in anima, sed etiam in corpore. Hæc significantur Apoc. 11. Vbi post facta regna mundi, regna Christi, v. 18. dicitur: *Et iratas sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum ut iudicentur, & regnus tuus prophetis & sanctis & timentibus nomen tuum, parvus & magnis, & perdas eos qui perdunt terram,* Et hoc tempus magno desiderio maestati propter verbum & testimonium Iesu Apoc. 6. expertunt, clamantes voce magna (Abelis scil.) *Vsq; quo Domine qui sanctus es & verax, non indicas & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Quibus dicitur, ut requiescant adhuc paululum, vsq; quo compleantur etiam conserui eorum, & fratres eorum, qui trucidandi sunt licet ipsis; pura ad soluendum Satanam, & ad finem usque mundi, nullo deinceps definito interuallo bella ea & rumorem bellorum consequente, licet non statim sit futurus finis, ut prædictus Dominus. In illo tempore stabit Michael princeps magnus, stans super filii populi tui, inquit Angelus Dan. 12. v. 1. & cætera quæ consequuntur. Proinde quidquid post 1710. annum temporis supererit (modicum autem supererit, quidquid tandem sit) id totum in angustia terminabitur fidelibus, qui capita erigere iubentur, quia approximat redemptio eorum. Sed de fine mundi nulli termino astricte supra diximus. Nunc sufficiat rationem temporum ad quam Halieutica nostra quadrant ex beato Iohanne veluti prælibasse, & nostræ huic explicationi propheticæ pro fundamento ac basi substrauisse.*

Tempus est igitur ut alteram tractationis nostræ partem aggrediamur, qua Halieutica nostra ad præscriptum hactenus calculum chronographicum accommodemus, & horum omnium usum & praxim demonstremus. Ut igitur commodo lectoris id facilius assequamur, non pigebit ea, quæ sparsim proposita sunt hactenus, paucis in summam colligere, & veluti uno obtutu conspicienda præbere. Sic enim legentium memoria consulemus, & evidentior erit nostræ applicationis ratio, ad præcipua rerum temporumque momenta iam descripta.

Ergo ad sublatum re ipsa iuge Sacrificiū & ad abominationem obstupescensem iam datam, eversis Hierosolymis per Titum, à nato Christo anni sunt 86. ad Hebræorum calculum computati.

Inde iuxta Angeli verba Daniel. 12. connumeratur dies, id est, anni 1290. Hi in summam collecti, pariunt nobis Wiclefi annū, cùm antea sigillata characterē bestiæ passim omnia essent. Tunc Antichristus spiritu oris Domini publicè confici cœpit anno Christi 1376.

Inde subtrahendi sunt anni sexcenti sexaginta sex, quibus ad suam annū peruenit Antichristus, resanato bestiæ capite, quod gladio percussum erat, Satanaq; iam thronum bestiæ plenè tradente, ipso in abyssum per annos 1000. relegato: Vnde reliquus fit annus Christi 710. Quòd pertinet cornu paruum Dan. 7. quod Melanchton recte intelligit de Muhamede, qui præcipua pars est bestiæ persequentis Ecclesiam. Alligato tunc Satana, vsque ad eius solutionem, intercurrunt anni mille; qui ad 710. additi, producunt annum Christi 1710. Intra hoc tempus tum regnum bestiæ definit (bestia & pseudopropheta, ante solutum Satanam, coniectis in ignem, & loco ipsorum ternis exeuntibus spiritibus Dæmoniorum Satanæ prodromis, donec Satan ipse resoluetur ex carcere suo) tum bini prophetæ à Bestia occidendi testimonium suum finiunt Apoc. 11. 12. & 13. Igitur temporis spatium tum Christi prophetarum occidendum à Bestia, tum ipsius Bestiæ, intra hos mille septingentos & decem annos contineri & inuestigari necesse est. Prophetæ siue bini testes Christi prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. Hos à termino Angeli Dan. 12. computamus, incidente in Wiclefianā annū anno Christi 1376. cum cœpit erumpere lux Euangeli. Nam certum est, si tempus propheticum è medio arcessatur, non posse errari. Si igitur subtrahamus hinc dies mille anniversarios, quando Ecclesia in deserto pasci cœpit, post Christianismum in orbem introductum, Apocal. 12. perueniemus ad ordinum prophetarum. At si ad eosdem 1376. addamus dies, id est, annos prophetarum reliquos nempe 260. perueniemus ad finem eorum: Igitur retrò efficietur annus Christi 376. quo tempore Ecclesia in desertum estacta, & Draco de cœlo iam fuit deiectus, & Bestia ex Abyssō ascendit diuiso imperio. Ad annum verò 1376. anni residui 260. additi efficiunt annum Christi 1636. Sic plenè & definitè cognoscitur principium, progressus & finis Ecclesiæ in deserto pascendæ, & tempus duorum testium Christi. Nam si velis ab anno 1376. dies 1260. addendo omnres computare, deuenies ad annum 2636. vltra terminum soluendi Satanæ, quod absurdum refutatur hoc principio, quia tum Bestia ante solutionem Satanæ tollitur, tum prophetæ à Bestia occidendi; Nec à deiectione Dracone de cœlo & muliere Christi para fugiente in desertum, alita per dies 1260. tempus propheticum deriuaretur. Sin verò plures quam mille annos subtrahas à termino ab Angelo præmonstrato, qui incidit in Wiclefianam annū anno Christi 1376. tum necesse foret iam adimplenta esse.

ta esse illa omnia , quæ experientia docet , nondum esse finem consecuta .  
Satan quoque de cœlo ante Christianismi in mundum introductionem  
fuisse deiectus ; & tempus Ecclesiæ in deserto ab eo discordabit , quæ  
omniarum refutationis non egent . Stat ergo , tempus initii prophetarum ,  
quo rursum prophetare debuerunt ad alendam Ecclesiam in deserto  
propter cuius exsilium & cædem amicti saccis dicuntur , recte assigna-  
tum esse ; & à 376. anno per dies mille ducentos sexaginta computan-  
dum fore , quibus annus 1636. præcisè finitur , quem computum hale-  
ces nostræ exactè referunt . Iam verò quod ad tempus Bestiæ , et si illud  
idem esse cum tempore prophetarum intelligitur ; tamen eius supputan-  
di ratio inuestiganda est ex notis & præconcessis . Cùm igitur definia-  
tur id mensibus 42. Apoc. 13. quandiu etiam , atrio excluso , calcanda à gen-  
tibus est Ierusalem , post dimensionem templi & altaris , id est , Eccle-  
siæ Apoc. 11. mense pro 30. diebus sumpto ; die verò pro anno ; sicut &  
in Danielis Hebdromadibus , & passim in tota Apocalypsi , patefit , effici-  
untur inde dies , id est , anni 1260. Qui subtrahit à solutione Satanæ , relin-  
quunt annos residuos 450. Sed quia Bestia ante solutionem Satanæ di-  
citur cum pseudopropheta vñstulanda ; itemq; spatiū exeuntium spiri-  
tuum ex ore Draconis Bestiæ & Pseudoprophetae , antequam Satan sol-  
latur , intercedit , quod illi exeant ad Reges terræ aduersum Ecclesiam co-  
citandos ; edentes miracula ; inde efficitur annum Christi 450. non pos-  
se esse initium ortus Bestiæ . Vnde igitur ortus hic Bestiæ exactius inue-  
stigari queat , quām à proportione eorum , ad quæ respectū habet , nempe  
à tempore Prophetarum & Ecclesiæ in desertum eiecta , & Satanæ de-  
cœlo deiecti & imperii diuisi . Ergo à 450. annis , terminum initii propheticæ , id est , 376. subtrahamus , vnde remanebunt residui 74. anni . His iam  
à fine solutionis Satanæ , nempe ab anno 1710. subtractis , quanto antè be-  
stiæ potestas ad AGENDVM desinat , ne ullam præterea nouam cladem  
inferre ipsa possit , deprehendetur , nempe ipso anno finiti testimonij pro-  
phetici 1636. supra designato . Ergo ultimus actus Bestiæ in cæde duorum  
testium Christi complebitur . Quod idem docetur , exortu bestiæ a cæde  
quinque tyrannorum repetito , & ab eo qui est , & ab eo qui nondum ve-  
nit , Apoc. 17. v. 10. quæ omnia dñs Thñ plenis commentariis in Apocalypsi  
demonstrabuntur . Exinde numerandi sunt tres dies cum dimidio , id est ,  
tot anni , quibus Prophetarum corpora insepulta erunt , qui superioribus  
additi efficiuntur annum Christi 1639. cum semestri . Inde hora , dies , men-  
sis , annus , præfiniuntur ad occidendum tertiam partem hominum im-  
piorum , Apoc. 9. Vnde emergit annus Christi 1640. cum septimestri , die  
& hora , ad damnationem meretricis magnæ adimplendam . Cæte-  
rum a damnatione meretricis magnæ usque ad solutionem Satanæ ,

C. 3

spacium consummandi mysterii Dei intercedit , ad conuocandum populum suum iuxta fœdus Dei, quod sifsonat Roman. 11. Cū abſulero peccata ipsorum, &c. Interponitur etiam, quicquid tres impuri spiritus Antichristi contra Ecclesiam aduersi interea molientur, quo pertinent impressiones aliquot Gog & Magog ab Ezechiele descriptæ etiam ante viuieralem illam per Satanam ſolutum circuitionem Gogicam excitantam. Apoc. 20. vltra quod tempus nihil in ſcriptura definitum præterea legitur, excepta ſemi hora ſilentii, qua iudicium ipſum videlicet exēcabitur, quæ tamen nulla connexione cum ſumma reliqui temporis continuatur. Atque hæc compendio in gratiam lectorum repetita nobis & in ſummam collecta haſtenus ſunt.

Sequitur Halieuticā nostrorum explicatio & applicatio, in qua pri- mū haleces in Dania captas, exenterabimus: deinde ad Grypſvalden- ſem pifcem accedemus, priusquam horum omnium uſum offendamus: Deo quidem omnes ſerio de futuro malo, cuius complementum in orbe terrarū, ad explorandos incolas terræ, inde ab exortu Bestiæ intro- duxit, præmonente & nunc ad consolationē electorum, vt ſe ad Deum pœnitentia ſeria conuertant, pleniffimè patefaciente. Etsi autem hiſce characterum figuris nihil niſi coniecturas affero, & fortassis propterea vanitatis à quoquam inſimulari potero: tamen quia hæ coniecturæ non ſtudio meo partæ, ſed veluti vltro ac diuina virgulæ ſuppeditatæ fuerunt, & ſuum fundamentum non in cerebri mei coniectura, ſed in ſ. literarum calcuло ſupra deſcripto habent, iccirco non fuerunt mihi prætermittendæ, quicquid tandem homines iudicent, quos non in pifces, ſed in ſ. literarū adducta testimonia iubeo oculos defigere. Halec pifcis eſt marinus, vnde nomen illi factum eſt, qui maris aqua vefcitur, ſi Plinio credimus. Itaque binæ haleces, uno & eodem die captæ ſolæ, designant nobis aptiſſime binos Prophetas, à bestia ex abyſſo maris ascendentे occidendos. Proinde terminum & exactam temporis prophetici periodum, concorditer ambo, tanquam muti testes, designant, inde ab anno Christi uſque 1636. Qua in re mirificè calculi nostri computum conſenſu ſuo comprobant. Eſt verò differentia quædam inter maiorem hale- cem Danicam & minorem Norvegiam. Quippe illa, vt maior eſt, ita præter 1636. annum, etiam tres annos cum dimidio insuper exprimit, quo ſpacio inſepulta testium veritatis corpora in plateis urbis magnæ dicuntur futura. Et ibidem victoriae trophyum erigitur, elogio cœleſti inſignitum, nempe V I C I: quāl exerto digito demonſtretur, ut occiſis duobus testibus & fidelibus propter testimonium Iefu ſecuri per- cuſſis, ebria ſanguine ſanctorum mulier inſultet & triumphet: tamē Chriſtum, ex media ſuorum morte victoriam reportaturum, reuſtitatis nimi-

rum

rum duobus testibus suis, & in cœlum euocatis, quemadmodum quoque ex morte ipse Dominus resurgens discussit milicium excubias & sanctorum corpora resuscitata in cœlum euocauit. Sic & Moses & Helias in spiritu (Hi enim sunt duo testes Christi, quorum effecta, non ut falsa de Henoch & Helia interpretantur, Apoc. ii. describuntur) non minus ad Dominum in cœlum ascensi sunt, quam ad Christum Moses & Helias (præfigurantes regnum Dei) in montem Thabor olim descenderunt, prænuntiantes Domino, qua morte moriturus esset. Sed de his abunde alias σωματικῶς dicetur in tuba septimi Angeli clangentis.

Incipiamus igitur numerorum rationem à fine, ab illustri illo elogio VICI. Nec enim refert, unde in halecibus inchoes: tantum illud aduentendum est, quod maior halecum consuetam vulgi numerorum rationem sequitur, vbi M. valet mille: altera verò halecula Norvegiana Latinum characterem veterem exprimit, nempe CIO. ut paulo post videbimus. Sinistrum igitur latus duobus explicatur columellis: prior continet verbum VICI, altera reliquos characteres.

# VICI

Quod attinet ad elogium VICI, hac columna descriptum more consueto, V. quinque notat, I. vnum, C. centum, I. vnum, quæ summa centum est & septem. Tradit Eusebius, illustre signum victoriae Constantino apparuisse, cum aduersus Maxentium adduceret exercitum Romam. Nam medio die in clara luce fuit vidisse in cœlo igneam crucem cum hisce literis, εν τέτονια, IN HOC VINCE. Ego iam tunc ante exterritum bestiæ, ac translationem imperii, Ecclesiam perillud commone factam puto, vincendum ei esse per crucem, quæ victoria nunc properat ad periodum suam complendam, ut testatur signum nostri natatilis marini, & literæ exprimentes victoriam in verbo VICI, sanguine martyrum videlicet irrigaturo Ecclesiam, ad uberiorum eius fecunditatem. In eodem laeo latere, secunda columna continuo tractu, ut videre est in tabula pictum, habentur hi characteres:



Vbi prima litera è tribus est M. quod mecum agnoscit Heraclius, licet tractus primi cruris & lineolarum intermedianarum à communi consue-

tudine non nihil variet, cuius caussam post afferemus, nempe non ex ~~aggrigatio~~ petitam, qualis est manuscriptoribus familiaris, qui duobus variis quandoque exornant literas: sed quia rem certam designat. Ceterum ipsum M. quoad totam sui substantiam, designat mille. Altera litera est M. subuersum cum lineola vna sive recurua, et M. ex uno latere intersecante. Hanc lineolam recuruam, rectas intersecantem, dimidiare numeros perpetuo tenore reliquorum, etiam in Grypswaldensi pisce comprehendimus. Et natura docet, quod interciditur dimidiari, unde & numeri vulgares dimidium per intercisam unitatis notam repräsentant. Itaque M. illud subuersum & intercum efficit nobis quingenta. Nam quod prius M. (quod mille significare diximus) non sit intercum, sed lineolæ circumflexu ambitum, facile attendi potest. Subuersum autem hoc alterum M. nihil substantiarum numeri & characteris derogat, neque quicquam inde scrupulosius atque vanius coniectandum est, sicut per M. inuersum, nescio quam Mundi subversionem Heraclius fabricatur. Nam & in ceteris appetit, varietatis gratia, & distinctionis caussa, nunc subuersas, nunc euersas, nunc aduersas literas inter se committi, significatu non mutato, quia haec naturæ per se non insunt, & accidentia haec distinctionis caussa sunt inuenta. Ultima litera est virgula perpendicularis, unitatis nota, infima sui parte non nihil caudata, ut solet fieri in finalibus. Efficitur igitur summa huius laevilateris duabus columnis expressa 1608.

Sequitur in eadem Halece Danica latus dextrum, in quo haec apparent literæ, à capite inchoatæ.



Prima refert V. designans quinque: altera videri posset esse M. subuersum, sed recte animaduertit Heraclius, punctum supra meditullium huius characteris superpositum, ut in omni lingua discernere & discriminare. Ergo si litera ista (licet decori gratia colligata sit) resoluatur in duo membra per medium discreta puncto, erit V. quadruplex, denotans nobis viginti, citra omnem ambiguitatem, aut vim characteri factam. Ultimam supereft V. Sed caudatum in altero cornu in altero uno flexu intercum. Incercio per infexum lineolæ denotat eius dimidium valorem. Itaq; erunt duo cum dimidio, quæ alias forent quinq; nisi hic character esset lineola vna transeunte, ut diximus, dimidiatus. Superfluum vero cornu sinistrum, tanquam auctarium, continet unitatis dimidium, ut ipsa mensura demonstrat. Nec enim tam longè producitur, ut nota sit integræ,

tegri, sed ex ipsa Geometrica proportione liquet esse partem minimi, hoc est, vnius medietatem. Quærat aliquis, cur non potius tribus perpendicularibus lineolis hic numerus ternarius sit expressus? Respondeo, hoc Deo esse legem ferre, qua illi fuerit scribendum. Nam hac ratione auferretur occasio Scripturæ propheticæ occultandæ & indagandæ. Additis igitur ad superiorem summam, quæ expressa est in sinistro latere, nempe 1608. numeris, qui in eiusdem halecis Danicæ latere dextro ternis literis expressi sunt, primùm quinq; deinde viginti, postea tria, exsurgit numerus annorum ad quem finis testimonij propheticæ exit, inde à Christo computatorum 1636. nostro calculo prorsus harmonia conformi.

Atq; hunc eundem numerum halecula minor quoque exprimit. Sed quia ratio redditæ à nobis est maioris & minoris halecum, animaduertendum est in maiori iam descripta halece Danica, præter 1636. annos, adhuc dies tres cum dimidio, id est, tres annos cum semestri describi, in illo M. infexo, quod contiguum est verbo V I C I. nempe.



Idcirco enim partes sive lineolæ dicti M. tum prior, tum intermediæ, non consuetis, sed flexis ductibus designatae sunt, ut constet ex hac partium delineatione, non modò numerum millennium totum rotius huius literæ corpore exprimi: sed præterea per eius partes quæ flexibus variant, & quidē per crus anterius unitatem: deinde per intermedias duas lineolas distinctè colligatas, duo designari, deniq; per caudam reflexam alterum crus rectum, quod flexu nihil variat, ad M. ambientem, dimidiū. Ergo adiectis tribus cum dimidio numeris, delineatur temporis spaciū illud, quo corpora testium veritatis insepulta ad vitam reuocabuntur, parta videlicet iam victoria: Itaq; tanquam per præconis vocem verbum VICI hoc loco accinitur. Intelligitur ergo characteres integros quoad totum vocabuli corpus computatos cum reliquis conficere annos 1636. qua ratione singulæ atque integræ literæ verbi VICI in computum horum annorum per se deuinctè veniunt, qui finem testimonij propheticæ exactè attingunt, quando duo testes Christi à Bestia sunt occidendi. Et haec tenus maior halecum cum minore, ratione summe totius inde emergentis planè consentit. Quatenus verò significatio verbi VICI attenditur, ea victoriae periodus, partibus inflexi M, qua parte verbo VICI proximè adhæret designatur, ratione partium inquam S M non ratione totius sive integræ literæ. Nam ratione integræ literæ designantur mille, sed

D

ratione cruris prioris & M, quod inflebitur, itemq; ratione interiectum  
lineolarum binarum cum circumflexu ambiente crus alterum ( quod  
manet illibatum & rectum, ne rursus computandum putemus ) intelligi-  
gitur in his partibus variatis denuo numerationem debere institutu, ut de-  
signentur tria cum dimidio, & quidem ea ex parte, quæ est versus dictio-  
nem VICI, ut intelligatur post tres dies cum dimidio immediatè victori-  
am hanc nobis promitti. Ethæc quidem de priore halece.

Consequitur halecula minor Noryvegiana, in cuius dextro latere ha-  
bentur tres characteres isti, inde à capite inchoati.



Primus character refert centum. Est enim C. licet subuersum. Subuer-  
sio autem accidens est, quæ nihil substantiæ numeri derogat. Alter cha-  
racter denotat mille, duplice de causa. Primum enim linea transuersa,  
quæ ab uno latere ad aliud usq; pertingit, est instar decussis, decuplum  
sui numeri designans. Deinde ne quis in rectilineis valere, non in peri-  
phericis dicat, omnino analysis ipsa Romanum numerum millenarium  
visitatum insigniter exprimit. Nam cum mille Romanis sic scribatur C.  
characteribus dissitis, hic tantundem exprimitur coniunctis, & alteri  
C alterum minutius est interiectum, contentum videlicet continentis,  
& pro linea perpendiculari axis interponitur, id quod propterea fit, quia  
si separatim characteres hi inter cæteros notarentur, posset quis existi-  
mare, bina illa C, inter se diuersa, denotare ducentum, I autem unum.  
Nunc vero ut nihil ambiguitatis relinquatur ista ad constitutionem mil-  
lenarii ita colligantur, ut partes substantiales esse unius numeri, nempe  
millenarii Romani, nulli possit esse dubium. Minus certè & maius conti-  
nens & contentum, non faciunt speciem, ac proinde incommodi nihil  
habent, sed elegantiam egregiam præse ferunt. Ac simplicem esse oportet,  
qui admirabili huius characteris perspicuitate non capiatur. Super-  
est tertius atque ultimus character dextri lateris, in quo C. euidens est, de-  
notans centum: at extata vero pars extrinsecus duplice ratione centena-  
rium quinuplicari significat. Primum enim, si C. subuersum in cornu  
laevi erigas, videoas V. in parte superiore simul cum C. designari, quod fa-  
nè C. quinplex facit. Ergo producit quingenta. Deinde nulli est du-  
biu[m], si interfecaret circulum uno, tum dimidium numeri accipien-  
dum fore. At nunc cum non interfecet, ex opposito denotat augmen-  
tum. At quoniam augmentum? Profectò non integri decussis, cum sit

pars

partem tantum dimidia, decussim inchoans, nec explens, idque extrinsecus, non intrinsecus. Relinquitur ergo ut sit decussis dimidiata nempe, C quin et aplicans, & per consequens 500. producens. Summa igitur huius lateris est 1600.

In altero latere, quod est minoris halecis laeum, characteres sunt his:

# WAIVI

Ex his coniuncti duo priores characteres duplex V referunt, quae sunt decem. Rursus apponitur A, ubi duo crura numerum binarium exprimit, interiecta vero linea transversa intrinsecus ad utrumque crus pertingens, decussim efficit, & duo crura decuplo sumenda docet, unde emeigunt, 20. Quibus additur character tertius I, qui significat unum. Quartus est V, altero cornu infraecto. Itaque sicut si abundaret pro mensuræ augmentatione adderet ad V. sic cum sit imminutum, inde diminuit. Ex dimensione autem Geometrica numero quinario unum demi appetit. Itaque restant quatuor. Ultimum adiicitur I, quae est nota unitatis. Quod si dicas, cur V. non manebat potius integrum dempto I finali, si illo quatuor designantur, hoc unum? Respondeo, Sic nihil scrupuli ad investigandum fore reliqui. Vult autem Dominus interpretationis difficultate monstrari donum reuelationis, mysteriique huius *zophar*, quod spero nunc esse manifestum, interpretatione neutquam coacta, nec vulla vi characteribus illata, nec pro arbitrio huc, illuc flexa reflexa, sed perpetuo tenore sibi consimili & conformi. Efficitur igitur ex hoc laeo minoris halecis latere summa 1636. quod est quæ situm nostrum demonstrandum, finem testimonii prophetic planè attingens.

Descriptis haec tenus duabus halecibus, ad piscem Grypsyvalensem accedimus, qui partim ad duos hosce priores testes, satis vocales, ipse veluti tertius accedit, neutquam mutus, nempe in uno latere eadem illa, quæ haleces designans, additis expressè notis hieroglyphicis res pandentibus: in latere vero dextro interitum regni Bestiarum numeris, tum notis, euidentissime portendit, calculo usq; ad solutionem Satanæ, hoc est 1710. annum potrecto. Itaque, & præcedentia quæ in halecibus sunt expressa confirmat, & fidem de se facit, quoad consequentia. Quod si piscis sit Cabelah, ut quidam putant, deriuatio eius ab Hebreo *Cabal* desumi poterit, quod significat, Tradidit, puta in manus alienas: licet mihi sit piscis incognitus. Videri quidem posset *zophar*, aut etiam Bellonii Acus, quia Gesnero describuntur. Sed nihil ausim affirmare, cum non per e-

mnia quadreat: certe vibrati gladii figuram referre apparet. Cæterum in explicacione huius piscis ordinis series attendenda est, propter notas hieroglyphicas, ut quid quoq; tempore portendatur, distinctè per numeros & notas intelligatur. Nam in halecibus, vbi non nisi notæ numerales habentur, vnde libet ordiri licet, nisi quod verbum VICI versus caput sinistri lateris in maiori halece euentu ultimum est, quod nos propter nobilitatem primo loco explicandum sumus. Sic igitur ordinis ratio invenia est, vt pisces Gryffvaldino integro vsq; ad caput dissesto latera vtrinque in longu extendantur, vnde à manu dextra ad leuam (qui tum Hebreæ linguae mos est, tum in numeris usurpari vulgo solet in subducendis summis ac detrahendis) ab una caudarum ad alteram legendo procedamus, ordine halecibus contrario.

Occurrit igitur latus dissecti & extensi piscis sinistrum, in cuius caudæ parte ea, quam dextra manu attingimus, in prima pericopa sunt literæ numerales & hieroglyphicæ hæ, à dextra manu in sinistram retrò tendendo.

# P X W C C II

In his numeris computandis notandum est eos non inde à nativitate Christi, vt in halecibus arcessi, sed à termino Angeli Dan. 12. qui incidit in 1376. annum, vsque ad alterum terminum eiusdem, incidentem in 1710. complendū, vt supra dictum est. Quod non sine singulari Deiprouidentia factum existimare debemus, vt ita quaquaversus calculi chronographici supputatio vera ostendatur tum Danieli respondens, tum Apocalypsi. Primum igitur duplex II. positum significat duo: deinde duo CC rotunda, ducentum referunt. Tertio loco triplex V. ponitur, sed loco extremi cruris, siue cornu adhibetur gladius hieroglyphicus, qui colligatus numeris, appareat & ipse numeralis esse. Gladium sequitur P deletum, quod est nota Prophetarum delendorum, vt paulo post dicemus. Quod nisi gladius P. antecedens alligatus & connexus esset cum notis numeralibus, quandoquidem nota purè hieroglyphica proximè sequitur, gladius non esset numerandus, sed pro ratione consequentis notæ hieroglyphicæ & ipse merè hieroglyphicus foret iudicandus. Nunc autem propter colligationem cum numeris numerari debet. Gladius igitur propter interiectam decussim ad manubrium capuli, in formam crucis, designat decem. Oportet autem vt totus gladius ad decussim referatur nulla non sui parte, ne nota Hieroglyphica intercidat, & ne pro integrō gladio dimidiatum tantum habeamus. Ex quo sit, vt si dempto gla-

dio

dio reliquum per se computes, relinquuntur non nisi duo V. & additamentum unitatis, qua parte cum gladio in angulum obtusum coit, quo ipso ostenditur tertium V. constituendum eo angulo non esse. Nam ipsa ratio docet, ut si huius anguli crus prius sit pars essentialis notæ hieroglyphicæ, nempe gladii, ergo non anguli constituentis V. Vnius enim proprium, nequit esse proprium alterius. Ergo totus hic character non nisi 21. nobis designat; Enīs videlicet propter crucem sive decussim decem: deinde ad mucronem ensis annexa particula residua notat vnum: inde dāo integra V inuicem connexa decem. Itaque ex his numeris in vnum collectis resultat summa 223. Hanc summam ad terminum ab Angelo p̄̄ monstratum, qui incidit in annum 1376. (vt vidimus) addendo, emerget summa annorum inclusuē computatorum 1599. Sanè finis testimoniū propheticī & complendæ cædis duorum testium Christi & Iohann. sic dictorum ante 1636. annum non imminet, ut dictum est, tamen non frusta hoc loco exprimitur gladius & Hieroglyphicum illud P deletum designans Prophetas occidendos, quod apparet ex fine characterum huius lateris, vbi post designatos tres dies cum dimidio, quibus prophetarū corpora erunt inseulta, erecta est pala, sursum versus tendens, euidentis huius rei signum, ut postea audiemus. Discernitur autem P deletum puncto à sequentis pericopę numeris, ne ipsum numerale esse propter sequentes numeros putemus, sed pro mere Hieroglyphico agnoscamus.



Subsequitur altera pericopa in qua triplicatum V. denotat quindecim. Mox gladii duo, hinc atque inde vnitate obsidentur: vbi & numerorum ratio est attendenda, & significatio hieroglyphica. Numeri per binas unitates, & duas decusses gladiorum, denotant viginti duo. Nam regula à nobis lata est, qua hieroglyphica ratione consequentiū existimanda diximus. Proinde nisi gladius prioris pericopæ supra alligatus foret notis Arithmeticis, ipse non numeraretur, sequente nempe P quæ est nota purè hieroglyphica puncto à sequentibus numeris interstincta. Hoc verò loco cum vterque gladiorum inter utramque vnitatem interiicitur, vterque est numerandus, posterior quidem consequentis numeri siue vnitatis ratione, prior autem naturam posterioris gladii sequitur. Ac binæ unitates, & binigladii, exactis his numeris, duobus testibus Christi cædem præcisè intentari docent, quod ex tota summa subducta apparet. Nam quindecim & viginti duo hęc, ad superiora 1599. addita, effici-

D 3

unt 1636. qui est propheticus testimonii finis in scriptura designatus. Gladius vero minor & maior olim in usu erat, & conferri duabus halecibus, maiori & minori potest, duos prophetas, ut dictum est, designans. Sed ad ultimam particulam deueniamus, characteribus Arithmeticis binis & pala insignitam; puncto item ab antecedenti pericopa distinctam; ut tempus sepelitionis seorsim denoret.



Hic unitas primo loco exprimitur lineola nonnihil obliqua, antecedenti lineolæ opposita, sed nihil unitati derogante. Inde subiicitur V. intercissum hamo recurvo, quam perpetuam notam medietatis diximus. Itaque pro quinque sunt duo cum dimidio, & eum priore unitate, tria cum dimidio, & tres illos dies & dimidiū, quibus corpora prophetarū non ponentur in monumentis, sed in plateis urbis magnæ sunt futura, quæ est Sodoma & Ægyptus, manifestè exprimunt. Huius rei ergo pala non humi defixa, sed in cœlum erecta apponitur, indignitatis tantæ prænuncia, & illustris insepultorum testis hieroglyphica. Summa igitur huius lateris, accensis tribus annis cum dimidio, ad 1639. existit 1639. cum semestri, quo usque VICI Danicæ halecis pertingit. Et dignum est admiratione Sepulturam, seu potius sepulturæ prohibitionem in Grypsvaldensi pisce designari; in haleculis autem partim cædem, partim victoriam per resurrectionē testium Christi à mortuis exprimi in verbo VICI, ita ut suauissima varietate hæc omnia inter se amicissimè conspirent. Enigatur quantum sit terrorum testium mutorum prodigium, quod merito nugacissimis hominibus occludere os debebat vel sola hac harmonia & consensu veritatis tam admirando, qui temerario ullius hominis ductu nequaquam existere potuit. Et sanè meretur pisces Grypsvaldensis, propter antecedentia huius lateris sinistri, fidem etiam in dextro latere characterum reliquorum, quandoquidem laevi lateris tam concinnam symphoniam cum halecibus sortitus est.

Deinceps igitur ad dextrum latus, quod sinistra manu apprehenditur, aeingamur, in qua meretricis magnæ, post occisos prophetas, damnatio instituitur, primùm binis numeralibus, & quinis hieroglyphicis notulis, ad miraculum usque evidentibus & stupendis: deinde reliquum temporis usque ad solutionem Satanæ pertexitur. Diximus horam, diem, mensim, annum, definiri Apoc. 9. occidendas tertiae parti hominum, qui adorant dæmonia, & simulachra aurea, argentea, ærea, lapidea, & lignea, que neque

neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, quæ sunt peccata priuata tabulae. Occidentur autem igne, fumo, sulphure ab equestri exercitu bis millies contenorum millium: reliqui autem gladio, prodeante ex ore eius, qui insidet equo, peribunt. Apoc. 19, v. ultimo. Videamus igitur horum omnium exactam delineationem & notas, retrogradiendo.



Binæ virgulæ priores, quantumvis non rectilineæ, designant duo (ut antea) & proinde duos annos. Ex his duobus annis deputanda est unctionis meretricis, & bestiæ, hora, dies, mensis, & annus: at reliquis gladio occidendi reliquum temporis ad complendum biennium, duabus his virgulis expressum. Dehinc gladius recurvus loco secundo, tertio item & quarto hieroglyphicum bombardarium duplex, minus & maius inter se subversione discreta, quintò calcar, postremò nota Regni Romanî siue quartæ monarchiæ R interruptum, Bestiæ & pseudoprophætæ damnationem significant. Stat quidem R utcunque interruptum. Nam planta pedis regni ferrei quartæ monarchiæ non abolebitur, donec eam conteret lapis de cœlo sine manu abscissus, Dan. 2. hoc est Christus de cœlo ad iudicium veniens. Proinde non alia monarchia quartam sequitur. Nihilominus tamen & Bestia & pseudopropheta arrepti in igne coniicientur ambo viui. Ergo & abolebitur Bestia decaornis una cum bicorni: & tamen monarchia quarta non intercidet præsertim tribus spiritibus Kanarum, loco dominatæ Bestiæ, Pseudoprophetæ & ligati adhuc Satanæ, excentibus, & vicariam operam illis locantibus, quod ad hypodomus Satan subsequetur, sauitiam plus quam Ethnicam sub finem mundi exercitaturus. Sed hæc alibi à nobis disputantur. Nunc satis est R partim subsistens, partim interruptum explicasse. Bombardarii autem characteres intelliguntur, quod expressè ignis, sumi & sulphuris mentio fiat Apoc. 9, quæ omnia sunt in Bombardis, puluere tormentario ex sulphure concocto. Quin qui harum rerum indagatores sunt ac artis Cauisticae & Mineralium periti, depræhendent quid per sessores equestres, igneos, hyacinthinos (id est piceæ flauedinis) sulphureosq; significetur. Nec diffiteor amplissimum quandam virum Reipubl. nostræ invenisse globorum ignitorum rationem eiusmodi, quæ missiles procul abigeret, qui nulla ratione aboleri possent & sponte inflammarentur, adeò ut vel gelida saxa in calcem verterent. Sed eam experientiam secum morientem defodit, ne humano generi pernitosum aliquid inuenisse ferretur. Hæc

propterea moneo, quod suspicet nouum aliquod ignis artificium tunc repertum iri ad damnationem Meretricis magnæ. Gladius autem qui præter Bombardaria signa, expressus est, merè Hieroglyphicus est: quippe quem Hieroglyphica sequuntur, & propterea eius manubrii decussis numerari non potest; quandoquidem gladius numerabilibus notis nec est alligatus, neceis interiectus. Curuatura autem quales designet gladios omnibus notum est, & grauitatem vltionis portendit: decem videlicet Regibus ipsis, qui nunc seruiunt bestiæ, meretricem confeaturis. Hæc de damnatione Meretricis magnæ per ignem & reliquorum magna ex parte interimendorum gladio, donec biennium integrum, post horam, diem, mensem, & annum exactos, fuerit expletum. Deinceps qui sequuntur characteres, eodem latere hac sequenti columnæ explicantur:



Ex his prima, si integra esset, designaret quindecim nempe triplicato V. inter se connexo. Nunc verò cum vnum ex V. non contingat crus alterius, adeò ut intercedat spacium vacuum, denotat demendum esse aliquid de summa. Quantum autem sit demendum, ei appositus & oppositus character mox consequens docet, qui ad quindecim, redundante auctario, vnum superaddit: Ergo priori quatuordecim; posteriori sexdecim attribuimus. Nec alia de caussa quam mysterii ergo & reuelationis caussa, & vt essent inter se distincta, hæc ita variata & opposita putemus; quo nomine etiam alterum sursum, prius deorsum versum est. Deinde sequuntur duo lunati arcus intertexti, quos fateor nonnihil difficultatis habuisse, sed cum animaduerteré alterum altero maiorem esse, neutrum prolus cyclicum, mox conieci non centenarii, sed vnitatis esse notas, quemadmodū & supra virgulæ curuilineæ vnitates significabant. Intrinsicus autem additum auctariū, quia est decussis dimidia pars, vnitatem quintuplicari significat, sicut in hæculis vidimus. Proinde vterq; arcuum decem: singuli, quinq; nobis designant. Videtur autem non frustra hieroglyphicū referre arcū cum sagitta, sed sine chorda; qua de re iudicent posteri. Ut vis enim magno conatu Spiritus dæmoniorum abeuntes ad Reges terræ frement, tamen irritus erit omnis aduersus sanctos conatus, regno ab eis nequaquam deinceps auferendo. Proximis tribus characteribus referuntur nobis tredecim; virgula enim designat vnu; prius vero V. erectum quinq; posterius subuersum itidē quinq; ac protenso cruce altero (ut ex proportione Arithmetica liquet) vnitates omnino binas,

quæ

quæ sunt in summa septem. Descriptos igitur characteres, finita hac columella, colligamus, ut summe superiorū addātur. Annus cædis propter etarum fuit 1636. Exinde tres anni cum dimidio usq; ad palam erectam additi (quandiu corpora prophetarum manebunt insepulta) producunt annum Christi 1639. cum semestri. Inde biennium ad exurendam meretricem igne, sulphure & fumo, & reliquos occidendos gladio addatur & conficietur annus 1641. cum semestri. Porro quatuordecim, sexdecimi, bis quinq;, vnum, quinq; & septem producunt annum Christi 1694. vna cum semestri. Hanc pericopam seorsim connumerandam ideo sumpsi, quod post damnatam meretricem & bestiam, in diebus septimi Angeli, post resurrectionem testium Christi, mysterium consummandum dicitur; sicut annuntiauit seruis suis Prophetis, quæ est resurrectio prima. Hæc igitur triginta annis continuis delineatur (quæ est mensura staturæ adulti Christi) proximè ante lunatos arcus omni perturbatione hieroglyphica vacuis. Huc sub certa proportione reuocari potest locus Ephes. 4. cùm inquit: donec euadamus OMNES (assumptis videlicet Iudæis in unitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum; quod quomodo accipiendum sit, explicat Apostolus, nempe respectuè, addens, ut ne simus amplius pueri, &c. quia plena perfeccio demum in ultimo die, qui dies est Regenerationis & vitæ continget. Restat ultima columella his characteribus insignita:

**SS XII A**

Prima nota, si dextra manu apprehendas columellam, est gladius alligatus ad V subuersum quod intersecatur à gladio recurvo. Itaque V non quinque, sed dimidium sui id est, duo cum dimidio, perpetuo antecedentium tenore significat. Ipse autem gladius propter connexionem intelligitur esse numerabilis, & per decussim manubrii sive crucem significat decem: deinde in capite capuli hexus transuersus præter decussim vnum adiicit. Tota igitur figura tredecim cum dimidio significat. Inde sequuntur duo duabus virgulis rectis expressa (sicut à principio) qui finis est numerorum. Post has enim virgulas gladiolus decurtatus sequitur, & propter sequentes notas hieroglyphicas duorum S S. (vt dicemus) est & ipse merè hieroglyphicus, designans nobis (cum priore gladio & arcibus) reges terræ (principium scilicet & finem) à Spiritibus Rathanum excitatos & velitationes Gogicas ante solutum Satanam ab Ezechiele prædi-

E

etas. Summa igitur notarum numerabilium huius columellæ est quindem cum semestri, quæ prioribus 1694. annis, cum semestri, addita, producit annum Christi 1710. qui est solutionis Satanæ terminus præcisè. Itaque solutionis notæ hieroglyphicæ Serpentis scilicet sibilantis, nempe duo SS in lingua quartæ monarchiæ eo-ordine & ductu quo supra P & R posita sunt, ad finem adiiciuntur, designantes Satanam soluendum. Nam si hæ notæ numerales essent, corresponderent dextræ partis binis rectis lineis, ne quis motitationi caudæ, quod inflexæ sint ascribendum putet. Terminus igitur ultimus in scriptura præfinitus Grypsvaldeni pisce exactè designatur, quæsito nostro ad oculum abunde ut spero demonstrato. Hactenus igitur explicare & applicare Halieutica nostra ad calculum chronographicum Apocalypseos & Danielis oracula, protennitatem nostra, & pro dono gratiæ Dei curæ nobis fuit: Vnde speramus finem theoreticum nostræ tractationis si non proximè, tamen non longo interuallo proximè nos assequutos esse.

Restat ut finem practicum ad usum omnium fidelium explicemus, quo illi se rectius in tantis calamitatibus gerant, & matura pœnitentia ad perhibendum testimonium Iesu Christo Filio Dei aduersus Bestiæ blasphemias parent. Ut igitur illustriora sint omnia, quæ de cæde testibus Christi à Bestia inferenda prædicta sunt, quæque ad ecclesiæ pertinent, paucis ea repetemus, quæ cap. 13. Apoc. proposita esse supra attigimus. Bestia enim ascendens ex abysso maris, septem capita & decem cornua gerens, per quæ tot regna & reges potestatem suam Bestiæ tradentes, intelliguntur, donec expleantur verba Dei, Apocal. 17. vers. 12. & 13. Daniel. 7. v. 24. Altera illa quartæ monarchiæ facies est, quam ea inde à 376. anno gestat, usque ad finem testimonii prophetici anno 1636. Utinam vero quomodo binæ duntaxat haleces capi potuerunt, sic tota res duorum duntaxat illorum *καὶ τέλος* sic dictorum prophetarum ultimorum cædefiniri posset, qui prodigi futuri sunt animæ suæ usque ad mortem: utinam inquam hoc fieri posset, ne & ecclesiæ ipsis afflictio illa magna prætermittantur, incumberet penè emortalis. Tūc enim postea superato hoc temporis articulo decem cornua ipsam odio prosequentur meretricem, nempe post tres dies cum dimidio sequente anno, mensie, die & hora, quin solam reddent illam & nudam & carnes eius comedent, & ipsam igne exurent. Tunc apprehendetur & bestia ipsa quæ est caput terrenum & pseudopropheta simul qui est caput spirituale, & proiicientur ambò viui in stagnum ignis, ardens sulphure Apocal. 19. Antea vero cornua, id est, reges cum Agno pugnabunt, quamdiu nimirum dant potestatem bestiæ, Apoc. 17. vers. 14, sicut etiam cap. 19. vers. 19. scribitur: *Et vidi bestiam,*

¶ Reges terre & exercitus eorum congregatos ad gerendum bellum cum eo qui insidiebat equo, & cum exercitu eius. Sed rursus cap. 17. vers. 14. disertis verbis additur: ET AGNVS VINCENT EOS, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & quicum ipso sunt VOCATI ET FIDELES. Ergo firmiter credamus, utvis luctuosa & funesta erit strages in cæde prophetarum, adeoque omnium ecclesiarum, tamen ecclesiam neutiquam deletumiri, sed potius cum Christo victorem fore. Non enim pugnat Bestia cum sanctis tantum, sed cum ipso DOMINO, cum Dominorum Domino & Rege Regum, vnde inimicos agni necesse est scabellum pedum eius fieri. Hinc disertis verbis Apocal. 11. cum de corporibus duorum testium Christi agitur, futuris in plateis urbis magna, quæ dicitur spiritualiter Sodoma & Aegyptus, additur: VBI ET DOMINVS noster crucifixus est; propter corpus ecclesiæ videlicet, ne putemus in sanctos tantum eam redundare cladem, sed ad ipsum Dominum quoque extendi qui eam, instar crucifixionis sui ipsius, & regnum reputabit. Ergo regnum Dei ex ipsa cæde & morte sanctorum suscitatum iri credimus. Stat igitur hanc calamitatem quæ ab ex ortu Bestie ad explorandas incolas terræ venit, ad finem properare, ut nos mature præparemus. At quomodo præparandi sumus? Audi Dominum. Postquam enim denunciasset datum esse Bestie potestatem ad agendum mensibus X L I. Et datum esse ei bellum gerere cum sanctis & eos vincere, & datum esse ei potestatem, in omniem tribum & linguam & gentem, ibidem exprimit quomodo se fideles gerere debeant, idque tum in spiritualibus, tum in corporalibus; in spiritualibus quidem, cum inquit: Et adorabunt eam omnes incola terra, QVORVM NON SVNT SCRIPTA nomina in libro vita, Agni mactati a iactis fundamentis mundi. Electi igitur sibi cauebunt (quicquid tandem cæteri faciant) ne conscientiam suam cultu & adoratione Bestiæ polluant. In corporalibus vero insignem paracletin subiicit; ad quam idem nos præparat: Si quis aurem habet, inquit, audiat; Quid nam? Si quis in captiuitatem ducit, in captiuitatem ibit: Si quis gladio occiderit, oportet cum gladio occidi. Quod quibus dicatur, etiam adiecto epiphonemate liquet, cum inquit: Hic est patientia & fides sanctorum. Nos hostem ne laceſſamus, nec vltro manus ad captiuandum aut occidendum conferamus, nisi captiui duci & occidi malimus. Quod vtinam iam olim contra Turcam obſeruatum eſſet, nec Vladislai Vngariae Regis, ſeu potius Pontificis periuriis temeratum eſſet, nobis excidiū nullis conditionibus pacis ſeruatis vltro accerſentium. In hanc ſententiam Ananias Ieraucurius in ſua oratione ad ſereniſſimum & potentiſſimum Daniae Regem Fridericuſ diuiniflorme ſcribit: Non opus eſt, inquiens, inimicos laceſſere: ſed ut laceſſti reſiſtamus. Summa huic redit, ut ita nos ger-

mus, vt in libro Hester cap. 8. extat. Cum enim verbum Regis reuocari non possit de perdendis Iudaeis per Hamanum, ibi aliud verbum priori oppositum emanauit, *Quod dedit Rex Iehudeis* (vt est vers. II.) *in omniciuitate, & cinitate ad congregandum se & ad standum super anima sua ad disperendum, ad occidendum, & ad perdendum omnem exercitum populi & prouincie.* A NGVSTIANTES EOS, &c. Hoc cum Iudaei obseruassent, victores euaserant, & vindicauerunt se de inimicis suis. Hocigitur pacto & nos viatores fore, armis etiam corporalibus, certa spes est. At in captiuitate Babylonica haec Iudaeis euenisse sub iugo alieno, probè animaduertendū est. Id si nos iugum attrahere nolumus, tolerabiles pacis conditiones sæuentis Martis aleæ longè anteponamus. Id quod si præstiterimus, si quid præterea eueniat, quod in nostram perniciem tentent aduersarii, tunc sanè illud valeat: *Tu ne cede malis, sed contra audientior ito: nempe, si inferatur iniuria, & si caussa inferiores non fuerimus.* Hoc pacto non vincet sed vinceretur & Bestia & Pseudopropheta, quæ omnia nobis sub typō iam olim sunt proposita. Sed de his haec tenus.

Dominus Iesus, scrutator cordium & rerum, illuminet intellectum sincerè nomen eius inuocantium, vt auribus ab ipso donatis, & oculis ab ipso illustratis audiamus & cernamus verbum eius, & fidem & patientiam quantum requirit Dominus, re ipsa præstemus, vnde & Deo constet.

Suæ misericordiae & iustitiae laus, & ecclesiæ salus &c.

Antichristo perditio, Amen.

Amen.

C L A.

CLAVIS PROPHETICA  
ET CHRONOLOGICA,

ad conformandum calculum huius Tra-  
ctatus cum annis Solaribus.

**E**ST instar gazæ sacrosancta prophetia clausæ,  
Quam nisi clave habita nemo aperire potest.  
Tradidimus gazam, gazæ nunc accipe clauem,  
Temporis ut noris totius harmoniam.  
Tercentum nobis, sexagintaque diebus:  
Annus it: huic quinos tu superadde dies,  
Ut Solaris eat, cum quarta parte diei.  
Hos rursum à summa tolle superposita,  
Anni inde Hebrei surget contractior ordo,  
Et fient nobis fata propinquæ magis.  
Hunc ne igitur, vel Solarem simul innuat annum:  
Scriptura integrum, cui sine lite liquet?  
Alterutram sectare viam, vel deme vel adde,  
Alterutro numerat pagina sacra modo.  
Quæ sunt, quæque fuere, & qua ventura trahuntur  
Hei mihi vix seclum iam superesse reor.  
Disce fidem; metanæam disce; relinquio Mundum;  
Inconcupsa sequi pergit o regna Dei.

F I N I S.

CHRONICLES OF THE LITIGY  
OF CHRONOLOGY

of the four last ages of the world. In  
which is contained a history of the world.

**E**s ist ein sehr alter und guter Prolog zu diesem Buche.  
Der Name ist sehr gut gewählt, für die zwey ersten Zeiten der Welt,  
die man als Chronologie bezeichnet, sind sehr gut gewählt.  
Die zwey letzten Zeiten sind sehr gut gewählt, für die man als Litigie bezeichnet,  
denn es ist eine Litigie zwischen den vier Zeiten.  
Die zwey ersten Zeiten sind sehr gut gewählt,  
denn sie sind sehr gut beschrieben.  
Die zwey letzten Zeiten sind sehr gut gewählt,  
denn sie sind sehr gut beschrieben.  
Die zwey ersten Zeiten sind sehr gut gewählt,  
denn sie sind sehr gut beschrieben.  
Die zwey letzten Zeiten sind sehr gut gewählt,  
denn sie sind sehr gut beschrieben.  
Die zwey ersten Zeiten sind sehr gut gewählt,  
denn sie sind sehr gut beschrieben.  
Die zwey letzten Zeiten sind sehr gut gewählt,  
denn sie sind sehr gut beschrieben.



EINIE

